DISPVTATIO MEDICA
DE
HYDROPE ASCITE,
QVAM

D. O. M. A.

CONSENSV INCLVTÆ FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

VIRO MAGNIFICO, AMPLISSIMO ATQVE CLARISSIMO

HERMANNO CONRINGIO

PHILOS. AC MEDIC. DOCTORE, HVIVSQVE IN ILLVSTRI IVLIA PROFESSORE PVBL. LONGE CELEBERRIMO, HODIE ITEM PRORECTORE, ET FACVLTATIS MED. DECANO SPECTABILI, CONSILIARIO INTIMO ATQVE ARCHIATRO ILLVSTRISS. COMITIS FRISIÆ ORIENTALIS, &c.

DN. PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO ÆTATEM VENERANDO

PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS IMPETRANDIS

PVBLICO EXAMINI SVBIICIT

JOANNES HENRICVS Bossen

HELMSTADIENSIS.

IN AVDITORIO MAIORI

AD D. XXX. DECEMBR. A. cIɔ Iɔ c L

(o)

HELMESTADI,
Typis HENNINGI MVLLERI Acad. Typ.

Anno cIɔ Iɔ c LXXII.



Σὺν Θεῷ.

De Hydrope Ascite

Thesis I.



Ydrops vocabulum Græcum eſt, deduciturque forte ἀπὸ τοῦ ὕδωρ & ὤψ, ut ſit Hydrops, quaſi aſpectus aquoſus, vel habens aquoſum aſpectum; ut αἰγιλώψ habens oculos caprinos &c. V. Georg. Heniſch *comment. in Aretæum.* Differre autem τὸ ὕδρωψ καὶ ὑδρώψ apud Hippocratem, jam tum Dioſcoridi & Galeno eſt notatum; ita ut illud affectum p. n. denotet, hoc verò affectu iſto laborantem, ὑδρωποειδῆ, ἢ ὑδρωπιῶντα. Ioh. Gorrh. *def. med.* Anut. Foëſius *Oecon. Hipp.* C. Hoffman. *Inſt. lib. 3. cap. 67.* Nec etiam τὸ ὕδρωψ ſemper idem ſignificat in Hippocraticis ſcriptis *Lib. 1. & 4. de morb.* pro ichore ſeu aqueo corporis humore ſumitur; *lib. de nat. puer.* pro aquâ quæ partu inſtante excernitur, *lib. 4. de morb.* pro ſeroſo humore ſanguinis; ſæpius verò pro tumore corporis orto ex ſeroſo humore, idemque ſignificat, quod ὕδερος, ὑδρώπισις, Celſo Aqua intercus.

II. Quùm verò non ſemper eodem modo ſeſe habeat tumor ille corporis, ſed pro ratione materiæ peccantis & loci affecti diverſus ſit, hinc quaſdam Hydropis ſpecies cùm veteres tum recentiores conſtituerunt. Author *lib. de rat. vict. in morb. acut.* duas tantùm agnoſcere videtur, dum ita ſcribit: *Hydropum cùm duæ ſint naturæ, hic quidem, qui hypoſarcidios dicitur, ubi hominem aggreditur, evitari non poteſt, alter verò cum flatibus multam felicitatem ad curationem dequirit &c.* Galen. *comm. in iſtum locum* hanc diſtinctionem minimè ſufficientem judicans, triplicem

 hydro-

hydropem statuit, ἀσκίτην, τυμπανίτην & ἀνασάρκαν seu λευκοφλεγματίαν. Hunc sequuntur Trallianus, Aëtius, Paulus, Arabes, alij. Aretæus verò (qui Galeno ætate videtur fuisse prior) *lib. 2. de caus. morb. diut. cap. 1.* ἀνασάρκαν diversum facit à λευκοφλεγματίᾳ, dum inquit: *si ex albâ pituitâ crassâ & frigidâ sc. corpus intumescat*, *leucophlegmatias ei nomen est, si in humorem sanguineum aquosum, tenuem carnes liquatæ fuerint hydrops anasarca generatur, &c.* Stephanus Atheniensis quinque ejus species recenset, & ita distiuguit: *Intumescit aut venter aut caro: si venter vel sola aqua colligitur, & hydrops dicitur, vel flatus & aqua, ac si aqua superet, Ascites vocatur, si flatus Tympanites; si caro intumescit, rursus vel sola aqua colligitur & fit anasarca, vel aqua cum flatu & fit hydropisis.* Aliam denique & prorsus novam hydropis speciem addere satagit Hercules Saxonia *pract. med. lib. 3. cap. 32.* quæ scilicet ex sanguine recèns in ventrem effuso oriatur.

III. Verùm Author quidem ille *lib. de vict. rat. in acut.* aut sub eâ specie, quam μετ' ἐμφυσημάτων vocat, Asciten comprehendit, ut vult Galenus aut sub eâ, quam ὑποσαρκίδιον, ut vult Cæsalpinus *art. med. l. 7. c. 25.* quod verisimilius. *Hydropisis vero Stephani & anasarca tum Aretæi tum Stephani: ad cachexiam referri potest, ortam ex continuis & longis febribus, nec tam vitio epatis fit; quàm solidarum partium. Et hydrops Stephani Leucophlegmatia est*, quemadmodum hâc de re judicat Georg. Henisch. *comm. in Aretæum.* Ea verò species de quâ Hercules loquitur, ne quidem huc referri potest. Vide Nic. Tulp. *lib. 2. obs. c. 40.*

IV. Receptior longè est illa Galenica distinctio, quâ ut dictum, dividitur hydrops in Anasarcen, Tympaniten & Asciten. Et primò quidem Ansarca seu Leucophlegmatia dicitur, in quâ universa corporis moles per carnem aut sub carne (ἀνὰ σάρκαν ἢ ὑπὸ σάρκαν) pituitoso & albo humore suffuso intumescit, *quæ Latinis propriè aqua intercus appellari posset, eò quod*

inter carnem & cutem aqua colligatur ut scribit Hier. Mercurial. *l. 6. c. 16. var. lect.* & Lud. Duretus *comm. in Coac. Hipp. p. 327.* II. Tympanites aut Tympanias in quo venter imus flatu crasso præcipue turget, & percussus tympani sonum edit, unde & nomen accepit, Hippocrati ξηρὸς ὕδρωψ. III. Ascites, in quo idem venter seroso humore impletur, non secus ac ἀσκὸς seu uter aquâ repleri solet; quem Latinis veternum dici, Mercurial. l. c. ex Plauto & Festo probare conatur, fortassis tamen minus rectè.

V. Nos omissis duabus prioribus hydropis differentiis, ut & illis quæ à parte peculiari nomen sortiuntur, ceu sunt hydrops capitis, pectoris, uteri &c: in Ascitis naturam paulò accuratiùs nunc inquiremus, ut qui præcipuè hydrops dici meretur, cæteræ verò species tantum per hujus similitudinem, ut loquitur Iachinus *in 9. Rhas. cap. 2.* Atque initiò quidem τὸ ὅτι, sive historiam eorum omnium, quæ circa hunc morbum accidere solent, in quantum illa est usu cognita, enarrabimus, ut eò rectiùs dein causas, quoad fieri licet indagare possimus. Scilicet, quum ea, quæ sensibus & experientiâ cognoscuntur, sint aliorum cognoscendi principia, etiam meritò primo loco de illis erit agendum.

VI. *Notæ* igitur, quibus ascites sese prodit, *sunt & visu & tactu & auditu facillimæ*, ut habet Aretæus *lib. 2. diut. cap. 1.* Et quidem primò in oculos incurrit tumor abdominis, qui etiam hìc genus & subjectum morbi constituit. *Gal. lib. de tumor. p. n. cap. 16.* & *lib. 14. M. M.* Intumescit autem abdomen plerumque sensim & vix animadvertentibus ægris, interdum quasi subitò & breviore temporis intervallo; quâ ratione hìc excluduntur repentini illi ventris tumores asciten præ se ferentes, quales vidit Anton. Benivenius *obs. cap. 76.* & Nic. Tulpius *lib. 1. obs. 40.* Prætereà nunc unum tantùm latus tumor occupat, nunc utrumque, ita ut venter quandoque in duas partes divisus esse, aut duos sacculos utrinque appensos habere videatur;

 quale

quale quid vidit Cl. Præses ante hos paucos annos in Episcopi Bambergensis fratre. Nunc verò æqualiter venter distenditur, ab hypochondrijs ad pubem usque, costarumque fines & extremitates extrorsum pelluntur. Et tunc tumor latus in quod decumbit, sequitur; supino verò summus ventris vertex collabitur, Guarin. *Consult. 164. & 321.* Horat. Reser. *apud Scholtzium cons. 131.* erecto autem corpore sensus ponderis procumbentis in regionem inguinum percipitur. Forest. *lib. 19. obs. 29. in Schol.* H. Arnisæus *disp. de hydrop. §. 42.* Et plerumque quidem venter etiam post mortem ita tumidus manet, rarò vero detumescit, quod tamen observavit Guil. Ballon. *lib. 2. Epid. & Ephem. p. 270.* in duabus mulieribus, quarum utraque cum hydropica foret & aqualiculus ijs valdè distenderetur, partim aquis partim flatu aliquo, postquam extinctæ essent, ita resedit venter, ac si nusquam intumuisset.

VII. Præter utriformem hunc interdum & alij tumores in ventre oriuntur, de quibus Hyppocr. *Coac. prænot. §. 452.* *οἰδήματά τε καὶ περὶ αὐτὸν γαστέρα, τὰ μὲν ἐπὶ δεξιὰ, τὰ δ' ἐπ' ἀριστερὰ, καὶ πάλιν καταπαύεται, tumores q; modò dextra, modò sinistrâ parte ventris oriuntur ac rursus desinunt*, vel ut *prænot. lib.* legitur; *καὶ περὶ τὴν κοιλίαν γίνονται οἰδήματα, τὰ μὲν ἐπὶ δέξιά, τὰ δ' ἐπ' ἀριστερὰ, ἱστάμενά τε, καὶ καταπαυόμενα. Et circa alvum tumores fiunt, qui partim dextrâ partim sinistrâ parte oriuntur & desinunt.* Quem locum in Coacas transposuit Lud. Duretus, prior enim mancus esse videtur, & aliud menbrum ex prænot. desiderari, nisi fortè illud *πάλιν* ad *γίνεται* vicissitudinem illam referat. V. Foës. *Comm. in Coac.* Duretus vocem *οἰδήματα* retinere maluit & ita vertit: *Quin & circa ventrem assurgunt, oedemata partim dextra partim sinistra, quæ modò consurgunt, modò subsidunt.* Ita & Avicenna: *Accidunt aposthemata in latere dextro & sinistro, quæ occultantur, deinde apparent & plurimum illius fit in asciti.* Etsi enim nomine *τῶν οἰδημάτων* Hippocrati & antiquis omnis generis tumores veniant,

& Cel-

& Celsus quoque *lib. 2. cap. 7.* istam vocem per Tumores expresser it: hîc tamen propriè intelligi, quos peculiariter Oedematicos recentiores vocant, ex ipso contextu patet, & doctè probat Duretus *comm. ad istum locum.* Nec Auth. *lib. de int. aff.* fortassis aliud vult, quando scribit, *ἡ δὲ γαστὴρ οἰδέει καὶ μεγάλη ὥσπερ λαπτὴρ, venter nimio humore perhumescit, intumescit, ac pellucet velut laterna.* Atque hinc quidem est, quod in ventris cute sub umbilico in pectivis regione & in dorsi sedibus tumentibus impressa vestigia aliquo usque perseverent, & *relictæ foveæ paulatim eleventur instar pastæ fermentatæ* ut loquitur Vasc: de Taranta *lib. 5. cap. 7.* V. etiam Plater. Solent autem ejusmodi *οἰδήματα* post pedum tumorem plerumque accidere.

IIX. Licet interdum intus tumentia viscera & foris tactu percipere; ita in dextris quidem hypochondriis epatis, in sinistris verò lienis tumor apparet, qui nunc cum magno dolore est conjunctus, nunc sensum tantum gravitatis præbet, & durus admodum est & renitens *ἀντιτυπούμενος*, V. Auth. *lib. de int. aff.* quandoque verò ob aquæ copiam ejusmodi viscerum tumor non sentitur. Gal. *5. loc. aff. cap 7.* Fern. *cons. 34.*

IX. Porrò impulso abdomine aut corpore in alterutrum latus provolutu, murmur & fluctuatio quædam humoris percipitur, ita Aretæus l. c. *Tangito verò & aliquam in partem manum imprimens intrò moderatè pellito, ad alias enim partes humiditas transfluet, verùm etiam in corporis ad alterutrum latus conversionibus humor in locum declivem & tumorem & fluctuotionem facit fluctuantisq; liquoris sonitus exauditur.* Vide etiam Avicen. *lib. 3. Fen. 14. tr. 3. c. 9. Quin imò moto corpore aqua ita movetur ut impetus ejus conspici possit*, ut habet Celsus *lib. 3. cap. 21.* Atque hâc etiam ratione á Tympanite distinguitur Ascites. Guarin. *Consult. 64. 317. & 321.* ut & ab alijs abdominis tumoribus, quales solent interdum oriri á Scorbuto, & á veneno, & malè expurgato puerperio, ac post febrem, & ex colicâ, suppressâ

que

que urinâ &c: Peculiariter verò quomodo hydrops Scorbuticus & veſicalis, quem Belgi Boucktwater appellant, à veterum hydrope Aſcite dignoſci queat, docet egregiè Severin. Eugalen. *lib. de Scorb. p. 103. & 111.*

X. Nec verò ſolùm venter, ſed & pedes & ſcrotum plerumq; intumeſcunt, licet aliquando naturali modo ſe habeant, ut vult Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 2. c. 20.* & obſervavit Gvarin. *conſult. 368.* Tumor autem nunc à ventre ad pedes deſcendit, nunc ferè ab his incipit, *illorumq; infimam ſedem eminentiorem, dein eam, quæ in ambitu malleolorum exiſtit, primum replet, inde ſenſim ad genu usq; & ulterius extenditur, maximè in humiliori femorum ſede ampliusq; excreſcit interdiu ſedente aut eunte ægro, decreſcit verò nonnihil eo recumbente noctu impreſſumq; in hoc tumore aliquandiu remanet veſtigium, qui ubi admodum diſtentus eſt, ſplendere & pellucidus nonnihil eſſe videtur*, ut diligentiſſimè hæc omnia notavit Feli. Plater. *tr. 3. lib. 1. cap. 3. nonnullis ubi morbus diuturnus extiterit, tibiæ rumpuntur*, Auth. *lib. 4. de morb.* Idem tumor paulatim conſcendens tranſit ad ventrem, ipſumque nunc totum occupat, nunc alterutrum latus, hinc oedemata illa, de quibus ſupra *§.* VII. Interdum verò in ſcrotum veluti cuniculis ſibi inuſitatam viam parit, & tunc ſimul quandoque *intumeſcunt teſtes, præputium & totus colis ab inæqualitatem tortuoſus eſt*, Aretæus, *quandoque quadruplo major & translucidus fit*, Plater.

XI. Et ſic quidem dum inferiores corporis partes in tumores excreſcunt, ſuperiores decreſcunt & emaciantur, præcipuè jugulum, cervix & pectus Auth. *lib. 4. de morb.* & humeri & coxæ, Auth. *lib. de affect.* Quidam adeo extenuantur, ut ſola cutis, tendines, membranæ & ligamenta oſſibus hæreant, & atrophiâ confecti videantur, teſte Sylv. Lanceano *libel. de hydrop.* Quibusdam tamen facies intumeſcit, Auth. *lib. 4. de morb.* & oculi, Avicen. *lib. 3. fen. 14. tr. 3. cap. 8.* Interdum & ad extremum manus inflantur, ſed quod peſſimum ſignum eſt Foreſt.

lib.

lib. 19. obs. 30. & mortis plerumque indicium, Hor. Refer. *apu Scholtz.* nonnunquam & ungues contrahuntur, Auth. *lib. de int. aff.*

XII. Nec omninò sine dolore sunt ascitici. Multi antequam morbus manifestò sese prodat, dolores in imo ventre & coxis percipiunt, Celsus *lib. 2. cap. 7.* Et Auth. *lib. de int. aff. siquidem igitur in morbum* (hydropem) *collapsurus est, confestim doloribus conflictatur.* Alij etiam in morbi progressu, præter distentiones illas præcordiorum, de quibus postea, ventris dolores, ac circa laterum inanitates & spinæ muscolos dolores patiuntur. Hipp. *Coac. §. 481.* Quibusdam acuti dolores ex liene excitantur, & ad humerum, jugulum, mammam, ilia transeunt Auth. *lib. de int. aff.*

XIII. Colorem verò corporis, quod attinet, & præcipue faciei, scribit quidem Aretæus, *omnibus hydropicis simul inesse pallorem.* Et Aëtius, *omnem hydropem vitiatum inducere colorem ex virore nimirum albicantibus ægris.* Experientia tamen testatur multos asciticos sic satis vivido esse colore, unde Argenter. non dubitavit asserere *comm. in §. 11. lib. 4. Multos vel potius omnes, qui his malis detinentur, colorem non habere diversum à suo naturali statu; imò quosdam intensiorem habere rubedinem, quam haberent per sanitatem.* Et Guarin. non semel id observavit V. *Consult. 127. 321.* alibi Hor. Refer. *apud Scholtz.* Schenck. *lib. 3. obs. p. 808.* non negandum interim, quandoque colorem etiam asciticorum à naturali multum desciscere, & nunc pallidum, lividum, plumbeum esse, præsertim si simul Leucophlegmatia accesserit. Auth. *lib. de int. aff.* nunc flavum si icterus, Faventin. *cons. 23.* Guarin. *cons. 154.* nunc nigriorem, si à splene ascites ortum duxerit. Hipp. 2. *Epid. s. 1.* Avicen. *l. c.* Adhæc *venas conspicuas atque admodum evidentes esse in brachialibus atque abdomine* scripsit Aretæus *l. c.* Et Auth. *de int. aff. venas nigras crebras per corpus distendi.*

XIV. Præterea solent ascitici, ut alij hydropici lassitudi-

nem plerumque percipere & ad omnes cum animi tum corporis motus tardi & segnes esse, quod etiam Hippocr. *Prædictor. lib. 2.* innuere videtur, dum scribit, melius esse, lassitudinem non sentire. Et Auth. *lib. 4. de morb.* corporis imbecillitatem, præcipueque lumborum ipsis contingere affirmat. Aëtiusquoque gravitatem Corporis omnibus hydropicis attribuit. Aretæus exprefsè: *diversis temporibus segnes sunt, pigritia multa —& effeminati.*

XV. Licet verò multum seri colligant hydropici, nihilominus tamen difficulter sudant, *ideoque citra madorem eorum corpus est, quare nec in balneis sudore madescunt*, ut inquit Aretæus *l. c.* quod ipsum cum alijs cachecticis & ictericis commune habent. *hi enim omnes nulla vi possunt ne per fel res quidem in sudores induci*, & *si reliquum corpus sudore multo perfundatur*, ut præter quotidianam experientiam etiam testatur Henr. Smetius *miscel. medic. l. 8. p. 434.* scribit tamen Hor. Refer. *sudor hydropicis superveniens si subinde æger allevari se senserit, bonum.* Et Scholiogr. ad *39. cap. Holler. de morb. int. Cuidam per sudores sponte excitatos & quasi destillantem aquam, curatio.* Quod fortassis intelligendum de initio morbi, antequam ille radices egerit. Aliàs Avicen. scriptum reliquit, *resudatio in hydropisi est laboriosa ægritudo, faciens ægrum diu pati, & facit cadere in ulcera maligna difficilia ad sanandum.*

XVI. Multi interim pruritu admodum molesto vexantur. Ita Author *lib. de int. aff.* ἔπειτα δὲ χρόνῳ ὕδατος πίμπλαται, κἄπειτα δηγμὸς ἐς τὸ σῶμα ἐμπίπτει, *procedente tempore aqua impletur, posteaq; corporis morsus contingit.* Quidam etiam scabie sicca laborant. Guarin. *cons. 127.* nonnulli erysipelate tentantur, idem *cons. 563.* Consuevit etiam morituris cutis valde extendi, post in eâ ulcera excitari, ut optimè notavit Rhasis *3. comm. cap. 6.* peculiariter etiam in ore, Avicen. *lib. 3. fen. 14. tr. 3. cap. 4.* Abscessus quoq; & maculæ in cruribus erumpentes lethales sunt,

ita

ita Hippocr. 7. *Epid. Bion cum multo tempore aquâ intercutem laborasset — ad genu sinistrum oborto abscessu & suppuratione factâ mortuus est.* Item: *Ctesiphon post magnam febrem ardentem aquâ intercutem correptus est. — Tribus aut quatuor ante mortem diebus, rigor, febris, corripuerunt, ad femur dextrum parte internâ juxta venam mediam, quæ ab inguine fertur* ὡς πυρὸς ἀγρίου σύστρεμμα ὑποπέλιον ἔχον ἔρευθος, *collectio velut ex igne agresti oborta est cum rubore aliquantulum livido. Sunt autem* συστρέμματα Hippocrati tubercula cruda & dura, veluti concretiones quædam & durities. Collectiones vocat Cæl. Aurel. *lib. 2. acut.*

XVII. Plerumque verò febris solet comitari hydropicos. Hippocr. cum alibi, tum *coac. §. 487.* Auth *lib. de int. aff.* Trallian. *lib. 9. cap. 3.* Et Aëtius *tetrabl. 3. serm. 2. cap. 20. ferè in totum plurimi ex hydropicis febriunt.* Estque febris illa hydropicorum ut plurimum continua & lenta, seu ut Avicen. loquitur, tepida. & sub vesperam præcipuè manifesta est, ut notat Guarin. *cons. 368.* Interdum verò satis vehemens solet esse, ut quando morbis acutis ac viscerum inflammationibus hydrops supervenit, *aqua enim intercutem ex acutis morbis profecta non potest non inflammationes habere in ipsâ perseverantes*, ut rectè docet Trallian. *l. c.* Pulsus secundum Galenum est parvus, crebrior, subdurus cum quadam tensione *4 de caus. puls. cap. 24.* nunc satis vehemens pro ratione febris.

XIIX. Hinc sitis ægros miserè vexat quæ indulgendo crescit, ut ait Horat. Et ut Ovid. *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Soletque tum lingua cum aliàs, tum à somno maximè inarescere Hipp. *prædict. lib. 2.* simul etiam cibi fastidium adest, adeò ut ad mentionem ejus aut aspectum toti exhorrescant quidam. Nonnullis, quæ assumunt, videntur cucumeris agrestis odorem præ se ferre præ fastidio. Auth. *lib. de int. aff.* Et quamvis plerumque hæc ita contingant, nonnunquam tamen inveniuntur, qui cibos more sanorum appetant, & parùm

 sitiant.

ſitiant. Exempla vide apud Schenck. *lib. 3. ex obſ. 5. Tidicæi* & Guarin. *conſ. 321.* notatum etiam id jam olim Galeno *5. de loc. aff. cap. 7.* & Aëtio loco ſæpius citato. Sed hoc admodum rarum.

XIX. Qui verò cibos averſantur, *ſi aliquid aſſumant, quamvis modicum & flatu carens, nihilominus valdè inflantur & diſtentiones patiuntur, quales ex ſatritate fiunt.* Aretæus. Vide etiam Hipp. *Coac. §. 481.* Auth. *lib. de int. aff.* Auth. *lib. 1. de morb. mul.* Hinc magnam anguſtiam circa præcordia ſentiunt & ſpirandi difficultatem, maximè cum loca alta ſcandunt, vel decumbunt, *præcipuumq́ue de quo conqueruntur eſt ſymptoma; quæ etiam nondum apparente tumore incipit, hydropemq́ue præſagit, eoq́ue emergente incrementum ſumit & ab initio circa mediam noctis concoctione factâ, ſuperveniente compreſſivo cordis dolore, mox magnâ difficultate ſpiritum ducunt, & ſuffocationis ſentiunt periculum quo excitati ſtatim ſurgere & orthopneumaticorum inſtar erectâ cervice ſedentes reſpirare coguntur. Quando quoque decumbunt in alterum latus, ſive dextrum ſive ſiniſtrum ſit, urgente tamen dyſpnœâ decumbere diutius nequeunt, aliàs in neutrum, ſed in dorſo, quamdiu in lecto ſunt cubare coacti poſſunt recumbere. Tandem quoque increſcente morbo penitus à decubitu ferè omni, cum per eam mox anguntur, abſtinere coguntur, dies noctesq́ue non ſolùm erecti, ſed & capite in anteriora pectoris inclinato, ut liberiùs ſpirare queant; in ſellâ ſedentes longo tempore, cùm diuturnus ſit morbus, reliquum, quod breve ſupereſt ſpatium vitæ, miſere tranſigunt,* ut egregiè hæc obſervavit Plater. quæ omnia etiam experientia comprobat. Vide Schenck. *lib. 3. obſ p. 811.*

XX. Et tum plerumque ſolet etiam tuſſis ſicca ſeu θυμός, id eſt, inanis ad tuſſiendum irritatio accedere, ſed quæ malum portendit, ita Hipp. *6. §. 35.* τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι βὴξ ἐπιγενομένη, κακόν. Et *7. §. 47.* ὑδρωπιῶντ@ ἢν βὴξ ἔχῃ, ἀνέλπιστός ἐστιν. Si ſcilicet à morbo acuto eſt tuſſis, ut rectè monet Scholiagraph. *ad cap. 35. l. 1. Holler. de morb. int.* Sin aliunde, non item. Interdum enim tuſſim in hydrope eſſe veluti ipſius affectus παθογνωμονικόν, patet

ex

ex *lib. prænot.* & *Coac.* §. 452. ἐνίοις δ' ἀπὸ τοῦ ἥπατος (scil. ὕδρωπες γίνονται) βὴξ ἔτ' ἐτύμως ἐγγίνεται, & ut additur *lib. prænot.* καὶ θυμοῦς, καὶ οὐδὲν τι ἀποπτύουσιν ἄξιον λόγου. *Quibus ab epate aqua intercutem ortum habet. Promptè etiam tussi vexantur, & tussiendi cupiditas inest, sed nihil effatu dignum exspuunt.* Et *Coac.* §. 487. *Quos ex ægritudine aliquâ hydrops circumvenit — hos* βῆχες ξηραὶ παρακολουθοῦσι, intelligit autem febres longas aut acutas, V. Foës. *comm.* Interdum & à tenui destillatione oritur, sed tum nequaquam ἐπιγίνεσθαι dicitur, V. Ballon. *def. Med. in voce* ἐπιγίνεσθαι.

XXI. Alvus ut plurimùm adstricta est, præcipuè ubi epar laborat; tunc enim οὐ διαχωρέει, εἰ μὴ σκληρά τι, καὶ πρὸς ἀνάγκην, *non nisi dum ægreque egrit*, *lib. prænot.* & *Coac.* §. 452. (neque enim per hydropem ab epate intelligit anasarcam, ut Senn. vult) aut si alijs affectibus hydrops supervenit, κοιλίαι ξηραὶ σπυραθώδεες ἔχονται, μεταπεριτήξιος μυξώδεος, *alvi resiccatæ caprinis stercoribus, similia deijciunt cum mucosa eliquatione* *Coac.* §. 481. Vbi interpretatur Foës. περίτηξιν μυξώδη, alvi fluorem diutinum, cruda & mucosa cum morsu quodam effundentem, qui solet tandem accidere, cum morbus protrahitur & phlegmone etiam intestina & mesenterium occupat Foës. *comm.* Aliàs observatum hydropicos nisi ad extremum vitæ alvos naturales semper servare, & fæces bono habitu eijcere, Gvarin. *consult.* 321. & 563.

XXII. Quandoque verò alvi profluvium statim initio solet accidere, magno ægrorum commodo. Vnde Hipp. *Coac.* §. 457. ἐπὶ δὲ ὑδέρῳ ἀρχομένῳ διάῤῥοια γενομένη ὑδατώδης χωρὶς ἀπεψίης, λύει τὸ νόσημα, *aquæ intercutem initio aquosum alvi profluvium absque cruditate exortum, morbum solvit.* Etsi hæc & quæ habentur §. 461. de leucophlegmatia seu anasarca accipiat Foësius; Duretus tamen, Sennertus & alij, etiam asciti convenire testantur. Ejusmodi diarrhæâ spontaneâ sanatum quendam mendicum hydropicum refert Smetius *Miscel. med. lib.* 2. *p.* 564. In-

 terdùm

terdum etiam alvi profluvium est tanquam signum pathognomonicon, ut quando ab ilibus, id est, à partibus in ilibus contentis, puta mesenterio, intestinis, omento &c. hydrops ortum duxerit, ita enim Hipp. *lib. prænot. & Coac. Vbi à laterum inanitate ortum contraxerit, pedum tumor & alvi diuturnus fluor consequitur, qui neque ventrem emollit, neque lumborum aut ilium tumorem solvit.* Aliàs verò est etiam signum prognosticon & mortem præsagit V. Galen. *2. ad Glaucon. cap. 5.* & Avicen. *lib. 3. fen. 14. tr. 3. cap. 4. scias quod fluxus ventris in hydropisi mortalis est*, item *solutio ventris in tribus diebus mortem significat*, si scil. cum viscerum scirrho & corruptione sit conjuncta. Solent autem per alvum excerni, nunc cruda ferè, ut in lienteriâ, Hor. Refer. nunc mucosa simul cum morsu quodam intestinorum, Foës. *comm. ad Coac. §. 487.* nunc loturæ carnis similia Avicen. *l. c.* nunc cruenta omninò Ballon. *lib 1. cons. 39. annot.* Interdum & γονώδεα, genituræ similia, id est, pituitam multam, acidam, vitream & albugineam referentia, ut interpretatur Foës. Sed quæ in principio tantum apparent, & hydropem plerumque solent præsagire, Hipp. *Coae. §. 455.*

XXIII. Nonnunquàm & vomitus supervenit, qui quidem initio morbi confert, antequam vires deijciantur; Ita refert Marc. Donat. *hist. mirab. lib. 4. cap 21.* adolescentem quendam asciticum binis vomitionibus spontaneis magnâ aquæ copiâ profusâ liberatum fuisse; confirmato verò morbo, versâ ad superiora fluxione, exitio est. Hor. Refer. Vomitus citrinos viridesque in ascite vidit Avicen. *lib. 3. fen. 14. tr. 3. cap. 8.* & Val. de Tarant. *lib. 5. cap. 7. in philon. pharmaceut.* Cruentas, Ballon. *lib. 1. cons. 39. annot.* quin imò Volch. Coiter testatur se vidisse in hydropicis, quibus artus extenuati omninò erant non tantum è ventriculo per vomitum sanguinem rejectum, verùm etiam ex naribus. *Obs. misc.* V. etiam Hipp. *prædict. lib. 2.* Schenck *p. 806. & 817.*

XXIV.

XXIV. Vrina paucá redditur & fere crassa est, modò naturali non absimilis, modò intensè russa & ignea. Vnde Gvarin. *cons. 121. Ego possum testari me in plerisq; hydropicis ex ascite tum paucas & coloratiores urinas, tum alvos vidisse satis concoctas.* Interdum bicolor est, quæ in supremà parte unius & in infima alterius est coloris, atq; hanc præsentem mortem minari quotidiana experientia docet. Hor. Refer. Interdum conturbata, quæ & ipsa perniciem denotat, ὑδεριῶντι γὰρ πυρετῶδει οὖρον μικρὸν καὶ τεταραγμένον ὀλέθριον, ut habet Hipp. *Coac. §. 457.* In quibusdam etiam urinas cruentas virtute naturæ aut symptomaticè potius excerni, notat Ballon. *lib. 1. cons. 39.* alios verò post sanguinis exigui minctum in hydropem subitò incidisse, & brevi cum doloribus perijsse testatur Gvarin. *cons. 474.* Quandoque etiam pus cum urinâ excerni Senn. tradit, quod arguit exulcerationem renum, & Avic. urinas levativas & virulentas vidit. Tum verò demùm secundæ valetudinis spes est, si plus humoris excernitur, quàm assumitur, teste Celso *lib. 3. cap. 21.* bonum item si urina & vini mutatione & epotis aliquibus medicamentis mutetur. Idem *lib. 2. cap. 8.* quod mutuatus est ex Hipp. *lib. 2. prædict.*

XXV. Menstruus quoque fluxus nunc aliter atque aliter se habet, docente Authore *lib. 1. de morb. mul.* ἢν δ' ὑδρωπιώδης ἡ ... ἔρχεται τὰ καταμήνια πολλὰ ἐξαπίνης· ὁτὲ δ' ὀλίγα, καὶ γίνονται ὁτὲ μὲν ὡς ἀπὸ κρεῶν ὕδωρ, ὡς εἴ τις αἱματώδεα ἀποπλύνειν, ὁτὲ δ' ὀλίγῳ ἰσχυρότερα, καὶ ... πήγνυται. *Quodsi hydrope laboret mulier, copiosi menses derepente, quandoq; etiam pauci descendunt, & nonnunquam velut aqua ex carnibus fiunt, velut si quis cruentas carnes abluerit; interdum etiam paulò vehementiores, ac neque concrescunt.* Nonnunquam & per uterum humor, qui in abdomine continetur, solet evacuari, ut in â muliere de qua Fernel. *lib. 6. pathol. cap. 8. cui instante menstrua purgatione humor sub abdomine congestus per uterum sponte ita profundebatur, ut omnis moles abdominis biduo subsideret: alius dein humor proximè succrescere incipiebat, qui stato quoq; tempore totus effluebat.*

De

De muliere, cui utero eliso omnis humor effluxerit, V. Beni
ven. *Abdit. cap. 109.*

XXVI. Circa somnum & vigilias itidem diversitas qua
dam apparet. Quidam enim somnolenti admodum sunt; it
Camillum Moscardum hydropicum somnus non quidem ar
ctus sed tamen assiduus tenuit per 24. horas, & *eum reddens ser
sine sensu suimet, aut saltem suæ ægritudinis*, Guarin. *cons. 184.* It
Martham Mandeliam Borsiam hydrope detentam mox invasi
quædam somnolentia, idem *cons. 136.* Insomnia hydropic
contingere etiam notatum Authori *lib. 4. de morb.* Quosdan
verò vigiliæ excercent molestissimæ. Idem Gvarin. *cons. 19*
Poter. *cent. 2. cap. 4.*

XXVII. Quandoque & Epilepsia asciti supervenit &
grave periculum plerumque minatur. Ita Hippocr. *Coac.* §. *454*
τοῖσιν ὑδρωπιωειδέσιν ἐπιληπτικὰ ἐπιγενόμενα ὀλίθρειον, ἀλλήλων σημείω
μοχθηρῶν, καὶ κοιλίης ἐξυγραίνουσιν. *Hydropicis succedentes morbi com
tialis offensiones perniciem adferunt, pravis invicem succedentibus s
gnis & alvos humectant. &* §. *459.* τὰ ἐξ ὑδρωπικῶν ἐπιληπτικὰ, ὀλέθρια
Interdum ejusmodi epilepsia in apoplexiam mortiferam & in
sanabilem vertitur, qualem observavit in Comitissa Gruerian
Duret. in *comm. in Coac. p. 337.* scribit tamen Ballon *1. Epid. p. 2*
piscatorem quendam hydrope laborantem translatâ sursu
materià epilepticum factum, sæpiusque convulsum; absces
in testiculos & femora facto liberatum esse & hydrope & ep
lepsiâ.

XXIIX. Non raro & alios morbos cum hydrope ascit
complicari contingit, ut passim apud authores notare licet. It
paralysin cum hydrope Poter. observavit. *cent. 1. cur. 97.* Sole
nand. *s. 2. cons. 12.* κάτοχον, Ballon *2. Epid. p. 126.* Palpitationem
cordis Rondel. *meth. cur. morb. lib. 2. cap. 16.* Solen. *cons. 9. s. 3*
asthma, Trincavell. *lib. 3. cons. 34.* destillationem & podagram
Venust. *1. part. cons. 88.* dolores intolerabiles in femore Schenck

ex obs

x obs. Tidicæi, idem, Faventin. *cons.* 23. Gvarin. *cons.* 164. Jacob. Camenicenus *in Epist. ad Matthiol.* Tulp. *lib.* 2. *obs. med. c.* 36. Leucophlegmatiam sæpe ascite succedere experientia docet & testis est Gvarin. *cons.* 194. & 563. Memorabile est quod scribit Schenck. ex observ. Sigism. Schnixeri, hydropicum admodum tumidum serpentem per anum excrevisse.

XXIX. Ceterùm in genere signa salutis & mortis egregiè tradit Hipp. *lib.* 2. *prædict.* quem locum Celsus *lib.* 2. *cap.* 8. ita ferè vertit: *Aqua intercutem minimè terribilis est, quæ nullo antecedente morbo capit, dein quæ longo morbo supervenit. Utique si firma viscera sunt, si spiritus facilis, si nullus dolor, si sine calore corpus est, æqualiterque in extremis partibus macrum est, si venter mollis, si nulla tussis, nulla sitis, si lingua ne per somnum quidem inarescit, si cibi cupiditas est, si venter medicamentis movetur, si per se excernit mollia & figurata, si extenuatur, si urina & vini mutatione & epotis aliquibus medicamentis mutatur, si corpus sine lassitudine est, & morbum facilè sustinet. Siquidem in quo omnia hæc sunt, is ex toto tutus est: in quo plura ex his sunt, is in bona spe est.* addit Hipp. *in quo verò nihil horum inest, sed contraria subsequuntur, in eo spem tolli animadvertendum est. Et cui ex his quæ in aqua intercutem laborante proposuimus, pauca affuerint, parum relictum esse spei, &c.*

XXX. Recidivas hydropicorum post evacuationes invadentes lethales esse jam tum Hippocrati notatum, *Coac.* §. 460. ὕδερος πρὸς θεραπείην ἐνδιδοὺς παλινδρομέων ἀνέλπιστος, *aqua intercutem, quæ curationi cessit, ubi recurrit, spem tollit.* & observavit Scholograph. *ad cap.* 39. *lib.* 1. *Holler. de morb. int.* Et Erastus *part.* 4. *disp. adv. Paracels.* Mori verò tandem asciticos σβέσει seu suffocatione ignis nativi extra dubium est. Quosdam etiam prius aquam exspuere, quàm pareant, animadversum. V. Guarin. *cons.* 317.

XXXI. Cæterùm non adhibendi sensus tantùm ad ea, quæ in corporibus integris datur percipere, sed etiam in mor-

tuorum

tuorum cadavera incisa, eorumque viscera & reconditos recessus summo studio animadvertendum, ut docet Cl. Præses *præf. ad obs. Philip. Salmuth.* Dissecto itaq; post mortē abdomine non semper aqua, quâ tumet abdomen, unius est coloris, plerumq; tamen est citrina, & urinam colore & consistentiá prorsus refert, unde Germanis das gelbe Wasser vocatur. V. Guarin. *cons. 474.* luteam & viridem Carol. Piso & Marc. Donatus *de hist. med. mirab. lib. 4. cap. 21.* observarunt; flavam in nigrum vergentem Guarin. *cons. 194.* loturæ carnium recens mactatarum similem Guil Fabricius. *Cent. 2. obs. 57.* planè cruentam & loturæ carnium saturatæ sanguine similem Scholiograph. *ad cap. 39. lib. 1. Holler. de morb. int.* & Marc. Aur. Severinus *de recond. absc. natur. p. 279.* Deinde & salsa est illa aqua & acrimoniæ cujusdam particeps. Et salsedinem quidem præter alia declarat, quòd ali. aquæ permista spumam excitet. Ita refert Osw. Gabelchoverus, civem quendam Augustanum hydropicum alterius consilio solio insidentem aquæ sese immersisse quotidie, & post 18. lotionis diem, ruptum esse umbilicum & aquam omnem, quæ in ventre continebatur affatim effusam in aquam balnei, hanc verò inde spumosam totam redditam fuisse, ut speciem aquæ multo sapone agitatæ referret. Acrimonia verò ejusdem inde manifesta est, quòd sæpe interanea corrodat & exulceret; quòd quando ad alvum confluit, non sine morsu intestinorum excernatur; quòd ulcera etiam in externis partibus præsertim pedibus difficilia curatu excitet. Tandem & fætida illa aqua solet esse & plerumque cadaverosum spirare odorem.

XXXII Præterea nunc minore nunc majore quantitate adundat aqua. Ultra 30. libras in dissecto hydropico deprehendit Tulp. *lib. 2. obs. med. cap. 35.* 45. libras, Guarin. *cons. 474.* plus quàm 20. heminas Forestus *lib. 19. obs. 14.* in quibusdam libras 60. & plures pendentem aquæ copiam adhuc remansisse, cùm multum priùs de eâ per pedes effluxisset, paracentesi in vivis adhuc

nuc factâ vel sectione in mortuis, sese observasse testatur Pla-
er. *tr. 3. lib. 1. cap. 3.* Laz. Riverius ex observatione Antonij Io-
lon, Medici Antissiodorensi refert, ex cadavere cujusdam mu-
ieris hydropicæ inciso tam ingens serosæ humiditatis factum
uisse effluvium, ut 90. librarum pondus excederet.

XXXIII. Cæterum continetur illa aqua plerumque qui-
dem inter peritonæum & intestina; nonnunquam tamen & in-
er peritonæum & musculos abdominis seu inter mirach &
iphac, ut rectè notarunt Arabes Medici, quos perperam hoc
nomine refutat Amatus Lusitanus *Cent. 1. cur. 30. schol.* & cum
llo Forestus *lib. 19. obs. 28. schol.* Neque enim tumor ille, qui
nodò unum, modo utrumque latus occupat, ita ut ven-
er in duas quasi partes divisus esse videatur; de quo su-
ta *§. 6.* aliunde est, quàm ab aquâ inter peritonæum & muscu-
os abdominis obliquos contentâ, ut præter Arabes, observa-
unt Hœchstetterus, Liddelius, alij.

XXXIV. Interdum aqua non in cavitate abdominis sed
esiculis quibusdam includitur, de quibus egregiè Aretæus
*iut. lib. 2. cap. 1. Alia quædam hydropici morbi species talis agnosci-
ur; in eâ vesiculæ quædam pusillæ, crebræ, humoris plenæ in loco ubi
scites fieri solet, excitantur. Cæterùm quòd humore multo refertæ
nt, illud indicio est, nam si abdomine perforato, parum admodum hu-
noris effundas, intus vesica recludetur: at si instrumentum impuleris,
erùm effluet. Hæc itaq; hydropis species haud levis est &c:* Ejusmo-
di hydropem ex vesiculis describit quoque Aëtius *tetrab. 3.
rm. 2. cap. 20. in fine. Fiunt aliquando bullæ inter peritonæum pelli-
ulam & intestina, figurâ vesicæ similes & serosum humorem continen-
es: hæ ipsæ sanè per fluctuationes quasdam inæquales deprehenduntur:
nimirum proprium locum secundum lineamenta quædam distributum,
ic velut circumscriptum ipso humore tenente.* Vt propterea sine
causâ Schenck. hanc hydropis speciem Græcis alijsque omni-
um ætatum medicis, uno Aretæo excepto, incognitam dixerit.

Deprehenderunt postea & alij ejusmodi vesiculas in cadaveribus hydropicorum dissectis. Ita refert Maur. Cordæus *comm 5. in lib. 1. Hipp. de mulier.* Anno 1567. Lutetiæ mulierem quandam hydropicam mortuam esse, in cujus eviscerato cadavere nihil cavum deprehensum fuit, in quo non vesica pendebat secundum Geometricam dimensionem loco coæqualis & conformis ei, qui suo ambitu ipsum contineret. Locos autem cavos dicit fuisse, non vesicam tantùm, renes & ut erũ, sed & ventriculum intestinaq;, cor, pericardium & id genus reliqua, è quibus prout tam intus quàm foris nativum cuiq; solum contigisset, cystes pendulæ conspiciebantur, aquâ citrinâ oppletæ & sine omni fætore, etiã post 20. diẽ. Nec partes externas exceptas fuisse, etiã ad jugulum usque, nec inferiores ullas, ne quidem proximũ sedi locum, quæ hasce suo cavo non caperet vesiculas. Hepar quoq; tectũ ijsce oppressumq; foris, ut & lienẽ totum: adeo ut si quasq; vel minutulas in numerum quispiam retulisset, octingentas numerus superasset facilè. Harum porrò fabricam fuisse ejusmodi, ut binæ eas membranæ conficerent, valdè candicans interior, altera tunicæ ventriculi simillima, tenuior aliquantò tamen, sed ei quidem concolor. Similem ferè historiam recenset Schenck. ex communicatione Aicholtzij, *lib. 3. obs.* In fæminæ cujusdam plebeiæ pro hydropicâ habitæ cadavere aquam nullam in cavitate abdominis repertam esse, ut nec flatum ullum; sed intestina una cum reliquis visceribus angusto spatio contenta apparuisse. Ipsum verò abdomen à cute ad peritonæum quasi albâ pinguedine duntaxat contextum visum fuisse, nullâ musculorum carneâ substantiâ interpositâ, sed vesiculis crebris, majoribus minoribusque aquâ limpidâ refertis invicem cohærentibus &c. Ita & Laz. Riverius *obs. commun. ult.* refert, rusticum quendam hydropicum abscessum passum fuisse in dextrâ parte abdominis, eoque aperto infinitum propemodum vesicularum aquâ repletarum numerum egressum fuisse,

ut

tit ducentarum numerum excederet, idque per plurium dierum spatium. Huc referri itidem potest insignis ille tumor mesenterij ponderans libras 20. deprehensus in puellâ hydropicâ post obitum; qui quidem extrinsecus tectus fuit membraneo involucro; sed intus refertus pluribus vesiculis lympidâ aquâ distentis, de quo Tulp. *lib. 2. obs. med. cap. 34.* Vide etiam Volch. Coiter. *obs. anat. Chirurg. Miscell.* Zacut. *lib. 2. hist. 116.* Imò extra peritonæum sub musculis abdominis ejusmodi vesiculas quandoque latitasse observatum. Ita refert Solenand. *s. 5. cons. 15.* cuidam hydropico existimato tandem naturam fecisse orificium in latere sinistro sub splene, intra peritonæum & musculos ventris, ex quo extractæ vesiculæ plures quàm ducentæ, ova gallinarum referentes sed mollia aquâ putridæ plena.

XXXV. Evacuatâ aquâ, quæ sive in abdominis cavitate sive in vesiculis comprehensa fuerat, viscerum constitutionem plurimum variasse observatum est. Sæpe epar repertum fuit sanum, Maur: Cordæus *comm. 5. in lib. 1. de mulier.* Vesal. *cap. de Liene.* Schenck. *l. 3. obs. p. 804. & p. 811. edit. secund.* Sennert. *lib. 3. part. 6. s. 2. cap. 3. p. 748.* Nic. Fontan. *exempl. 31.* River. *obs. commun.* Sæpe quoque morbidum; & nunc quidem albicans tantùm forinsecus Schenck. *l. 3. obs. p. 803. & p. 855.* Bauhin. *in Append. ad Fr. Rousset. de partu cæs.* nunc atrum omninò & simul densum instar renum parenchymatis. Ita Gvarin. *cons. 563. In dissectis hydropicorum cadaveribus creberrimè videmus jecur habitum corporis densioris sortitum. Nunquam enim jecur molle, udumq; reperimus, nisi in hydrope leucophlegmatia, in quo semper plenius, laxius & albo humore nutritum est; in ascite autem & tympanite contra semper densius in renum modum, sed pravo admodum & atro colore & malè nutritum*, ubi scilicet ab epate malum originem duxerit. Epar durum, siccum, infinitis coloribus variegatum in muliere hydropicâ vidit Ballon. 2. *Epid. p. 264.* idem durissimum & tanquam corium torrefactum, Gvarin. *cons. 194. & 369.* Tulp. *lib. 2.*

 obs. cap.

obſ. cap. 35. Imprimis notatu digna eſt hiſtoria, quam affert idem *cap. 36.* de muliere, quæ ſimul hydrope & morbo regio laboraverat, in cujus cadavere inventum jecur aridum, atrum, exſuccum; & inſtar corrugati corij ita in ſe contractum, ut vix æquaret geminum pugnum. Eo verò novaculâ inciſo, excreta inde aduſta ac fæculenta amurca, ſimilior atramento nigerrimo, quàm rubicundo ſanguini. Nonnunquàm Epar adeo durum repertum, & tantùm non in lapideam duritiem converſum, ut incidi cultro non potuerit, Foreſt. *obſ. 14. lib. 19.* Gvarin. *obſ. 194.* Dodon. *obſ.* lapillis undique plenum, Foreſt. *ibid. in annot.* Iacob. Camenicen. *Epiſt. ad Matthiol.* In hydropicis jecoris ſubſtantiam ſiccitate humoriſque penuriâ ceu rimis quibusdam dehiſcere, perinde atque terram tradit Fern. *lib. 6. Pathol. cap. 8.* Quod etiam Platerus ſe frequenter animadvertiſſe in ſectione corporum teſtatur, *tr. 3. lib. 1. cap. 3.* Quandam alij id in dubium vocant, inter quos Tulp. qui in deformi illo & torrefacto jecinore, de quo *cap. 36.* quæſitas illas rimas ſe nequaquam potuiſſe invenire ſcribit. Veſiculas quoque ſeu hydatides epati adnatas, easque interdum amplas limpidasque in hydrope extinctis hominibus ſæpius, quemadmodũ tumorem fungoſum; in quo concretum quid inerat, in hydropicâ quadam puellâ, ſe inveniſſe ibidem refert Plater. Præterea epar diaphragmati adhæſiſſe quibusdam locis obſervavit Caſp. Bauhin. *append. de part. Caſ.* Imò totum ſuâ convexâ ſuperficie eidem adnatum, interveniente membranâ quadam craſsâ & firmiſſimâ vidit Jacob. Camenic. *d. l.* V. & Plater. *l. c. p. 258.* Folliculum fellis parvum, totum repletum gypſeâ durâ materiâ, porum verò ab epate ad duodenum ampliſſimum ſine ullâ obſtructione deprehendit in hydropico Caſp. Bauhin. eundem porum lapillis obſtructum, Jacob. Camenic. in veſiculâ verò bilem praſinam & craſſam invenit Ioh. Heſſus *apud Schenck. obſ. 423.*

XXXVI. Quæ in epate, eadem & in liene vitia ſæpe animad-

nimadvertuntur. Ita lienem album & parvum vidit Ioan. Frid. Trafelman. *apud Schenck. p. 855.* durissimum ac renitentem Auth. *lib. 1. de morb. mul.* lapidosum omninò Forest. *lib. 2. de incert. urin. judic.* vesiculas quoque lieni adnatas deprehendit Plater. *d. l. p. 254.* Ipsum verò lienis corpus quandoque septo ita adnatum, quemadmodum & epar, ut sine dilaceratione tunicarum avelli non potuerint, *ibid. p. 238.* Interdum lien satis mollis repertus, *ὡς χνῦς, velut lanæ tomentum*, ut loquitur Auth. *lib. 1. de morb. mul.* & tantùm non diffluens. Ita refert Schenck. *ex obs. Melch. Sebitzij*, in rusticæ cujusdam septem annis hydropicæ cadavere, inter alia lienis viscus per medium dissectum grumosi ac putrefacti sanguinis instar comparuisse, solidiore ipsius substantiâ quasi colliquefactâ. Et cùm ipse leviter & molliter quidem cultro tractaretur, adeo totum diffluxisse, ac si solummodo congelatus sanguis fuisset, & nisi membranula ipsum circumcingens, illæsa ac integra permansisset, procul dubio totum per se ipsum defluxisse. V. *lib. 4. obs. p. 119.* Ita & Simeon Iacoz Medicus Costensis apud Riverium *obs. commun. 6.* observavit in quodam hydropico secto epar quidem optimè constitutum & naturali temperie præditum; lienem verò corruptum & totam ferè ipsius substantiam pici liquatæ similem.

XXXVII. Renes quoque à naturali suâ constitutione multùm discessisse aliquoties observatum. Ita refert Schenck. *lib. 3. ex obs. Ioan. Hessi* in quodam, qui ex mictu sanguinis diuturno hydropicus factus fuerat, renem dextrum omnem amisisse colorem, ut albam haberet carnem. In alio renes parvos, pallidos, nulla pinguedine munitos vidit Ioh. Frid. Trafelman. *apud Schenck. lib. 3. obs. p. 855.* Renem planè putridum Tulp. *lib. 2. obs. Med. cap. 35.* Renum omnimodam corruptionem, remanente tantùm illorum involucro veluti marsupio, sæpiùs se vidisse in hydropicis scribit Plater. *loco sæpius citato p. 259.* Et Bal-

lon.

lon, *lib. 2. Epid. p. 264.* se in muliere quadam hydropica renem dextrum non invenisse, sed speciem duntaxat quandam involucri. Plater. *p. 260.* utrumque renem multis ulceribus fistulosis perforatum adeo amplis observavit, ut digitum singula facilè reciperent, adnatis hinc inde renum corpori vesiculis aquâ plenis, quæ ex illis scissis profluebat, erosâ simul undique eorum exteriore tunicâ.

XXXIIX. De pancreate scribit Rondel. *meth. cur. morb lib. 3. cap. 35.* se illud quemadmodum & reliquas mesenterii glandulas in omnibus hydropicis deprehendisse induratas ac scirrhosas. V. & Fernel. *Pathol. lib. 6. cap. 8.* Mesenterium, omentum, renumque involucrum veluti arefacta, contracta adipemque instar glebarum illis adhærentem in quodam invenit Plater. *p. 253.* Idem, omentum plerumque flavum, putre & fætens, præterquam quod retractum, & mesenterium quoque quibusdam in locis ejusmodi fuisse, in anatome hydropicorum testatur se observasse, *p. 254.* omentum disruptum & in globulos arctissimè contractum, Ioh. Hessus *apud Schenck.* corruptum, Ioh. Heintzius *apud Schenck. p. 884.* Columbus *lib. 15. Anat.* ac planè consumptum, Schenck. *lib. 4. obs. p. 118.* Sennert. *cap. de hydrope p. 3.* Intestina quoque siderata & omnino corrupta, ac quasi sugillata & livida in quibusdam inventa. Schenck. *lib. 3. obs. p. 855.* & *lib. 4. p. 118.* Tulp. *lib. 2. obs. med. cap. 35.* peritonæum ventriculo anticâ parte tam firmiter adhærens, ut nisi vi discerptum atque dissectum avelli potuerit, Anton. Iodon *apud River. obs. commun.* Rarum est fungos interiori abdominis parti adnasci. Observavit tamen id Marc. Aur. Severinus *de rec. absc. natura p. 279.* ubi scribit Anno 1624. Neapoli in sacris incurabilium ædibus sectos hydropicos, in quorum abdomine parte interiore pallidi quasi fungi boleti ubertim reperti.

XXXIX. Præterea & testes muliebres aliquando mirum in

modum tumidi, lividi, quasi fungiosi, pleni vesicis ac omninò putridi inventi. Schenck. *lib. 3. ex obs. Ioh. Heintzij*. Et Bauhin. *in Append. ad Franc. Rousset.* refert in cadavere Sabinæ Schochin dextrum testiculum vix apparuisse; ex eo verò prodiisse tumorem ingentem, unde eductæ fuerant per paracentesin novem libræ serosi humoris: tumorem autem illum constitisse ex tunica crassa intus rugosa, nullibi perviâ; eidem versus internam partem alterum tumorem adhæsisse insignem & circum circa multos parvos tumores seu hydatides; sinistrum verò testiculum magnitudinis ferè cotonei fuisse, summe inæqualem, multis quoque ac magnis hydatidibus refertum, protrusumque in capacitatem ossis sacri &c. Vterum in vetulâ quadam hydropicâ, cæteris partibus salvis, deprehendit Argenterius tumentem, induratum, tensumque admodum, eoque non sine difficultate dissecto ob insolitam illius duritiem & crassitiem invenit universam illius cavitatem plenam pingui, albâ & crassâ substantiâ, & factum steatoma *comm. in §. 11. lib. 4.* Eundem putrefactum omnino vidit Ioh. Posthius *apud Schenck. lib. 3. obs. p. 556.*

XL. Nonnunquam aquam in thoracis spatium irrepsisse, eaque intulisse symptomata, quæ purulentos solent affligere observavit, Fernel. Sennert. alij. Sæpenumero pulmones in asciticis sectis exsiccatos vidit Guarin. *cons. 317.* Coiter *obs. miscel.* Eosdem ob aquam quæ diaphragma penetraverat, dimidiâ ex parte corruptos Ioh. Heintzius *apud Schenck. lib. 3. obs. 17.* Inflammatos Bauhin. *in Append. ad Rousset.*

XLI. Et hæc quidem ita se habere historiæ medicæ docent. Cæterùm asciten hydropem nunc per se incipere, nunc verò alteri morbo supervenire itidem experientiâ est notissimum, & passim ab authoribus proditum. V. Hippocr. *Coac. §. 481.* Celsus *lib. 3. cap. 21.* Aetius *tetrab. 2. serm. 2. cap. 20.* Ita morbis acutis & febribus ardentibus ascites quandoque succedit,

Hippocr. *prænot. libr.* Trallian. *lib. 9. cap. 3.* nec dissentire vide-tur Galen. *lib. 3. de sympt. cauf. cap. 2.* etiamsi P. Sal. Diversus *lib. de part. aff. cap. 9.* eum aliter interpretetur. Nec verò hinc mitiores redduntur febres, sed quem antea habuerunt ardo-rem, eundem adhuc servant. *Et sanè mirum est,* inquit Tralli-an. *quod neque aqua intercutem ipsis oboriens calorem ægrorum extin-guat, neque febris omnem aquam intercutem exhauriat, sed ab aqua simul & igne ambo contineantur.* Solentque tum maximi & ve-hementes dolores oboriri & mors in propinquo esse, unde Hippocr. *lib. prænot.* οἱ δὲ ὕδρωπες, οἱ ἐκ τῶν ὀξέων νοσημάτων πάντες κακοί. οὔτε γὰρ τοῦ πυρὸς ἀπαλλάσσουσιν. ἐπωδυνοί τε εἰσί, κάρτα καὶ θανατώδεες. Interdum vero & longis febribus succedit, maximè quar-tanæ, ut scribit Celsus *lib. 3. cap. 21.* & Hippocr. *de aer. aq. & loc.* & observarunt Langius *lib. 2. ep. 44.* Horst. *obs. p. 256.* Re-nealmus *obs. 29.* Tertianæ etiam hydropem supervenisse nota-vit Lotich. *obs lib. 4.* Laz. River. *Cent. 2. obs. 65. cent. 3. obs. 16. & 23.*

XLII. Hecticos quoque & phthisicos sæpenumero hy-dropicos fieri, nisi fluxione ventris corripiantur, & hinc mor-te præoccupentur, scribit Rondel. *lib. 2. cap. 25. meth. cur. morb.* Phthisin quæ ex cachexia est ascitin adducere Aretæus docet *m. diut. cap. 16.* Vid. Vidius de patre suo testatur, illum post satis longam tabem subitò hydropicum factum. Ad empyema, phthisin & sanguinis sputum hydropem consecutam nota Marc. Donat. *hist. med. mirab. lib. 4. cap. 21.* V. etiam Trallian. *lib. 9. cap. 2.* Furori quandoque asciten succedere Hippocr. tra-dit *7. §. 5.* ἐπὶ μανίῃ ὕδρωψ, ἀγαθόν. Ita & melancholiæ, Avicen-na: *si alicui accidit hydropisis habenti melancholiam, resolvitur melan-cholia, propterea quia hydropisis humectat eam.*

XLIII. Et omninò *omnes illos affectus hydrops consequitur, qui habitum corrumpunt*, ut loquitur Aëtius, *tetrab. 3. serm. 2. cap. 20.* Quorum aliquot paulò post recenset. *Multi*, inquit, *& à podagra*

dagra (quod etiam notatum Aretæo *lib. 2. diut. cap. 12.*) *& co-*
endicum dolore vexati aquam intercutem inciderunt, frequentißimè
utem eos, qui cibum non sentiunt, & malo corporis habitu præditi
unt, itemq; ab arquato infestatos hydrops consequitur, cœliacam item
affectionem & dysenteriam; novimus etiam, qui ex orthopnæâ in hy-
dropem sunt deducti, quidam etiam ex asthmate, ut notant Ron-
delet. & Laz. River. *Cent. 3. obs. 8.* De dysenteria extat *§. 43. lib. 6.*
ὁκόσοι σπληνώδεες, ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τουτέοισιν ἐπιγενομένης μα-
κρῆς τῆς δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λιεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται. *Qui*
lienosi difficultate intestinorum corripiuntur, ijs supervenientem lon-
gam dysenteriam aqua intercutem, aut intestinorum lævitas excipit
& moriuntur. Et *lib. de aer. aq. & loc. Intestinorum difficultates*
& alvi profluvia & febres etiam quartanæ diuturnæ, cùm longius
producuntur, naturas ad aquam intercutem deducunt & perimunt.
De alvi profluviis vide etiam Paulum Ægin. *lib. 3 cap. 48.* Coli-
cum dolorem aquam intercutem sequi tradit Aretæus *l. 2. diut.*
cap. 8. Scorbutum quoque tandem in hydropem desinere præ-
ter Sever. Eugalenum docet egregiè Cl. Præses *disp. de scorbuto.*
Præterea & tympaniti quandoque ascites succedere solet. Imò
non dubitavit Guarin. asserere *cons. 317.* nullum tympanite ex-
tingui, nisi tandem ascites accesserit.

XLIV. Post viscerum scirrhum plerumque sequi asci-
ten itidem experientiâ est notissimum. A crurum scirrhoso
tumore hydropem lethalem provocatum Schenck. observavit
lib. 3. obs. 23. Ex jecoris aut lienis vulnere exiguo, quod non al-
tè penetravit, sed summam duntaxat extimamque faciem atti-
git; quemadmodum & ex ulcere, quod ferè ab illorum suppu-
rante phlegmone atque vacuatâ relinquitur, asciten oriri ali-
quando Fernel. tradit *lib. 6. pathol cap. 8.* à ruptâ vomicâ epatis,
Schenck. *ex obs. VVolphij.* Denique post sanguinis quemcunque
fluxum sive is fiat per nares, sive os, sive hæmorrhoides, sive
per uterum aut verò post ejusdem consuetam evacuationem

 suppres-

suppressam, ut passim docent authores & usus quotidianus comprobat.

XLV. Sunt verò huic malo obnoxij omnis ætatis homines, ne fœtu quidem in utero materno excepto. Ita refert. M. Aur. Severin. *lib. de recond. absc. naturæ*, sibi Neapoli visum fœtum abortivum octimestrem, cui distentum ita abdomen, ut magnitudine reliquum corpus ferè exsuperarit. Et nota est historia illa apud Schenck. *lib. 4. obs.* de embryone masculo 4. vel 5. mensium hydropico; qui tamen potius leucophlegmatiâ, quàm vero ascite laboravit. Magis autem ætate profectos quàm pueros hoc malo corripi Fernel. tradit. Vide etiam Aëtium & Aretæum.

XLVI. Nec minus fæminæ quàm viri asciten incurrunt. De Scythicis mulieribus Hippocr. seorsim scribit *lib. de aër. aq. & loc.* illas sæpe decipi, quòd existiment se in utero habere fœtum, & hydropicas esse. Gravidam verò si contingat hydrope corripi, *tunc corrumpi fœtum & ejici, unaq; cum eo aquam effundi, fereq; mulierem mori*, scriptum reliquit Auth. *lib. 1. de morb. mul.* Interdum tamen observatum, gravidas hydropicas fœtus vitales enixas esse. Exempla vide apud Schenck. *lib. 4. obs.* Forest. *lib. 2. de urin. judic.* Ballon. *2. Epid. & Ephem. p. 138. & 264.* Hildan. *Cent. 2. obs. 16.* Mulierem per annos 15. sterilem, tandem hydropicam factam concepisse, sed fœtum mortuum & flaccidum omnino vixque quadrimestem peperisse, ipsamque non multò pòst diem suum obijisse refert Schenck. *lib. 4. ex obs. Iohan. Posthij.*

XLVII. Porrò experientiâ quoque constat proniores in hunc affectum esse, qui calidioris & siccioris sunt constitutionis. Sanè Guarinonius diligentissimus si quis alius temperaturarum indagator, quos ille quidem describit asciticos omnes ejus naturæ fuisse docet, imò quosdam calidissimæ & siccissimæ. V. *Consult. 127. 164. 165. 194. 236. 268.* Biliosis accidere hydropes etiam

em Hippocr. *in Coac.* tradit. Idem Fernel. *in consil.* & alij testantur, quos omnes recensere non est pretium operæ. Atque adeo non est, quod scribat Avicenna; *Homo de quo vehementius timetur cùm advenit ei hydropisis, est ille cujus complexio naturalis est calida & sicca*, eò quod à naturali statu magis declinet; quasi verò cum frigidiore natura magis conveniret.

XLIIX. Docet itidem experientia, eos qui multo, generosoque vino, aut spiritu vini & aromatibus utuntur, facilius in ascitem incidere; quod & Aristoteli jam olim notatum *lib. 3. probl. 5.* Cibum flatulentum, & cruditatem & bupresten aquam intercutem gignere Aretæus observavit. Aquas palustres & stabiles, Hippocr. *de aër. aq. & loc.* Oribas. *lib. 5. collect. cap. 3.* Allium (quod tamen plurimi summoperè hîc laudant) asciticis multùm nocere, Tulpius notavit *lib. 2. obs. cap. 35.* Quosdam verò ex frigidæ potu hydropicos factos, Aretæus, Galen. Aëtius, testantur. Vide etiam Schenck. *lib. 3. obs. 127.*

XLIX. Tandem & anni tempestates huc aliquid facere docet Hippocr. *lib. de aër. aq. & loc.* ubi scribit, antegressâ hyeme austrinâ & calidâ, vere subsequente aquilonio & sicco ac frigido, accedente derepente æstate, æstu ac mutatione contingente, reliquis morbis cum ventres facilè resiccari nequeant, intestinorum lævitates & aquas intercutem succedere. Et *lib. 3. §. 22.* autumno maximè hydropes fieri asserit. Loca porrò maritima hydropicis accommodata esse Stobæus tradit. V. Mercur. *var. lect. lib. 3. cap. 1.* Denique inter morbos hæreditarios ac connatos numerat Hippocr. & aquam intercutem *lib. 2. prædict.*

L. Ceterùm enarratis ijs, quæ circa asciten accidere historiæ & observationes Medicæ docent, proximum jam est, ut ad accuratiorem hujus mali contemplationem accedamus. Siquidem quæ hactenus sunt allata, sensuum fide constant; quid verò ulterius ex ijs jam perceptis possit agitatione mentis deduci, nunc porrò tentandum.

LI. Et primò quidem videndum, quomodo aqua illa, quæ continens ascitis causa est, generetur; semperne vitio viscerum, & quo aut cujus, an verò etiam aliquando ijsdem salvis. Galen. semper læsam sanguificationem causatur. Ita enim *comm. 2. in præsag. Hipp. t. 1. Communis ortus hydropis inde extat, quod officium in sanguine generando positum vitiatur.* Lædi verò sanguificationem ab intemperie frigidâ epatis scribit *lib. 5. de loc. aff. cap. 7.* & *lib. 6. de loc. aff. cap. 1. nisi ad jecur frigus transmittatur, aqua intercutem subsequi potest minime.* Imò *comm. in lib. 4. §. 11. Hipp.* hydropis causam reducit in ultimum gradum refrigerationis epatis. Refrigerari autem epar nunc quidem per se & præcipuè, nunc verò per consensum aliarum partium, docet *lib. 5. de loc. aff. cap. 7. Accidit autem, quum aliàs aliam partem frigida admodum intemperies afficit, ut epar quoq; refrigeretur. Igitur si vel lienis causa, vel ventriculi; vel intestinorum universorum, maximè jejuni mesentericæ venæ omnes habituali intemperie afficiantur, facilè etiam unà refrigerare possunt omnes simarum jecoris partium venas: quo fit ut ad epatis quoque corpus universum intemperies ipsa perveniat, si verò pulmonis vel septi transversi vel renum occasione id accidat, imprimis venæ, quæ in visceris hujus partibus gibbis consistunt, per consensum afficiuntur: deinde tractu temporis totum epar quoque eadem dispositione infestatur.* Comm verò *2. t. 1. in præsag. Hipp.* ita illum consensum limitat, vel quod partes vicinæ sint, vel quòd habeant societatem magnam per conceptacula nervosque. Non verò hinc semper tumorem in epate excitari, quippe qui plerumque nullus in eo appareat, sed tantum solam intemperiem frigidam in illud induci, docet idem contra Erasistratum *lib. 5. de loc. aff. cap. 7. & lib. 6. cap. 1.*

LII. Idem ferè ad verbum docent Oribasius Galeni simia vocatus *lib. 9. cap. 23.* & Aëtius *tetr. 3. serm. 2. cap. 20.* Et hic quidem inter alia expresse; *citra epatis refrigerationem impossibile est aquam congelari, & aliquem in hydropem incidere.* Trallianus

quoque

quoque asciten jecore admodum refrigerato provenire scribit *lib. 9. cap. 2.* licet postea *cap. 3.* etiam agnoscat quandam ejus speciem ex intemperie calidâ non tamen sine vitio jecoris. Nec Paulus Ægin. *lib. 3. cap. 48.* à Galeno quicquam dissentit. Arabes, (qui sua omnia à Galeno habent, teste Joh. Bapt. Montano, excepto tamen Averrhoë) soli itidem epati hunc affectum adscribunt, etsi in causâ aliquo modo ab ipso discedant. Inter illos Avicen. *lib. 3. Fen. 14. tr. 4. cap. 4. Non accidit hydropisis absq; ægritudine epatis, aut propter communionem.* Imò plerique medici posteriores ne latum quidem unguem ab illis Galeni placitis discesserunt.

LIII. Verùm enim verò nitur hæc sententia non alio fundamento, quam quòd crediderint sanguificationem à solo epate fieri. Ita enim Galen. *5. loc. aff. cap. 7. Quia epar ejus facultatis, quæ sanguinem gignit, instrumentum est, consequens est, ut vitiato hoc viscere, actio quoq; ejus vitietur,* id est, ut paulò pòst explicat, *ut cibus* (chylus) *qui reliquis partibus distribuitur, in sanguinem transmutari non possit.* Verùm (ut nunc dissimulem, etiam concessâ illa hypothesi tamen hinc non sequi per bonam consequentiam non nisi hepatis vitio nasci asciten posse) illud Galeni dogma περὶ αἱματώσεως jam dudum à doctissimis viris in controversiam cœpit vocari. Et verò cum non omnis chylus ad epar feratur, patet, utique saltem non posse illi soli sanguificationem adscribi. Vt enim nunc nihil dicam de lacteo chylo, cujus pars statim in venam cavam abit, pars in ipso pancreate in rudem aliquem sanguinem excoquitur, sanè potulentus chylus omnis à liene attrahitur per venas lacteis similes (quas pronuper orbi patefecit Ioan. Veslingius ὁ μακαρίτης) ibique aliquam coctionem subit, & in sanguinem aliquem elaboratur; quod etiam Aristoteli jam olim notatum *lib. 3. de part. an. cap. 7.* ὁ γὰρ σπλὴν ἀντισπᾷ ἐκ τῆς κοιλίας τὰς ἰκμάδας τὰς περιττάς· καὶ δύναται συμπέττειν, αἱματώδης ὤν, & pluribus probat Cl. Præses *lib. de sang. gen. cap. 20.*

LIV.

LIV. Quid quod etiam concoctio sanguinis, quæ in epate, fit, cordi majori ex parte sit referenda accepta, quàm epati? teste quoque Averrhoë *2. Colliget c. 9.* Cùm enim ad internum chyli calorem (ut qui proxima effectrix sanguinis causa est) suscitandum requiratur omninò externus, manifestum est cordi potissimùm deberi sanguificationis negotium, utpote à quo epar suam accipit calorem partim per arterias, partim per portæ venas, partim denique ex ejus vicinitate. Absque quo si esset tantùm teporē aliquem jecur obtinere ipse Galen. fatetur *lib. de fœt. form. cap. 3.* Imò in venis etiam extra viscera sanguinem crudum excoqui verissimum est, ut hinc sanèrectè concludatur non soli parenchymati vim illam concoctricem concessam esse, ut pluribus docet Cl. Præses *lib. 1. cap. 19.*

LV. Si itaque sola sanguificatio læsa esset causa hydropis, non minus lien, & pancreas, & cor, & venæ, (ut quæ omnia coctionem sanguinis adjuvant) quàm epar hîc accusari deberent. Et ex liene quidem affecto sæpius hydropem oriri testatur quotidiana experientia, & docet Auth. *lib. de affect.* *γίνεται ὕδρωψ καὶ ἀπὸ σπληνὸς, ὅταν νοσήσῃ* & Auth. *lib. 1. de morb. mul.* *ἐπιγένεται δὲ ἀπὸ τῶ ὕδρωψ αἰεὶ, ἐπὴν μάθῃ ὁ σπλὴν ἕλκειν ἐς ἑαυτὸν φύσει ἀραιὸς ὢν, καὶ μανύς.* *Ex eo verò semper hydrops subsequitur, ubi lien naturâ rarus & laxus ad sese trahere consueverit.* Idem Auth. *lib. 4. de morb.* docet Aretæus *lib. 1. diut. cap. 14.* *si ab affectu superentur*, lienosi, aut scirrho lienis laborantes, *aqua intercutem aut pthisis necessariò sequitur.* Et Celsus *lib. 3. cap. 21.* *Non hujus visceris unius* (epatis) *hoc vitium est, nam splene affecto & in totius corporis malo habitu fit.* Constat quoque & pancreas scirrhosum sæpe hydropi causam dedisse, ut & cor & venas in febribus præsertim hecticis & colliquativis.

LVI. Ceterum non solùm illæ partes, sed & aliæ, quæ propriè non faciunt ad sanguificationem, hydropis causa esse possunt. Notum enim est ex superioribus, sæpe in dissectis

hydro-

hydropicorum cadaveribus, renes, testes muliebres, uterum mesenterium, intestina, omentum fuisse reperta vel scirrhosa omnino vel alio modo læsa, epate omninò salvo & sano. Et Hippocr. *lib. prænot.* & *in Coac.* hydropem etiam ἀπὸ τῶν κενεώνων, à laterum inanitate oriri scribit, id est à jejuno, lactibus, & tenuioribus intestinis, ut explicat Galen. *comm. 2. in progn.* Et verò utique in illis omnibus partibus paulatim colligi possunt tumores aquosi, qui rupti si effundunt aquam in cavitatem abdominis, necessum utique est nasci asciten.

LVII. Sed & fieri potest, ut sine vitio alicujus visceris hydrops nascatur: ut quando ab errore externo, id est, à potu conferto vel aquæ vel cerevisiæ, vel vini actu frigidi, serum in abdominis cavitate colligitur. Item si vas aliquod rumpatur, unde serum copiosè destillet, aut si calculus asper ureteres transiens eos quasi dissecet, unde urina confertim effluat. Idem accidere potest, si ex calculi vesicæ incisione vulnus non rectè consolidetur. An verò etiam ex intestinis perforatis humor aquosus exstillare & ventrem in tumorem attollere possit, ut Sennertus vult, meritò fortè in dubium vocaris: nec tamen multum repugnaverimus.

LIIX. Atque ita quidem patet non solius epatis, sed & aliorum viscerum (latè nunc ita accepto vocabulo) vitio, imò ijs salvis etiam aliunde posse asciten originem ducere. Porrò nec illud fortè verum, aquam, quæ vitio viscerum in abdomine colligitur, (ut de hâc ascitis specie nunc vel maximè agamus, ut quæ omnium est frequentissima) tantum ab intemperie eorum frigidâ generari. Imò vero similius est non nisi raro ita nasci hydropem. Etenim cùm frigida intemperies defectus quidam caloris sit, ut passim docet Galen. defectus autem caloris inconcoctio, hæc autem imperfectio oppositorum passivorum, [ut pulcrè demonstrat Aristoteles *lib. 4. meteor. cap. 2.*] manifestum utique est, chylum e. g. qui ad epar refrigeratum

adducitur, crudum atque imperfectum tantùm relinqui, non verò attenuari in aquam. Neque etiam serum illud mite, de quo Aristot. *lib. 3. hist. an. cap. 19.* aliter generatur, expressè enim illud vocat αἷμα ἄπεπτον, τῷ μήπω πεπέφθαι, *sanguinem crudum, quia nondum concoctus est.* Et *3. part. an. 5.* αἷμα ἐξυγρανθὲν διὰ ἀπεψίαν, *sanguinem dilutiorem ob inconcoctionem.* Est enim chylus multò tenuioris substantiæ, quàm sanguis (habet quippe sese ad modum lactis) unde etiam hâc ratione, quod ita generatur, est quidem tenuius sanguine perfecto, crassius tamen longè aquá illâ asciticorum. Scilicet quæ coquuntur, crassiora & calidiora sunt, τοιοῦτον γὰρ ἀποτελεῖ τὸ θερμὸν εὐογκότερον καὶ παχύτερον, καὶ ξηρότερον, *calidum enim efficit tale melioris molis & crassius & siccius*, ut idem scribit *lib. 4. meteor. cap. 2.* Quod eleganter huic rei accommodat Guarin. *consult. 563.* ubi docet non posse aquam asciticorum generari ab intemperie jecoris frigida. *Ejus rei causa illa est*, inquit, *quoniam omnis concoctio, dum fit affert semper incrassationem, ac cum diminuta est, eam affert diminutam, nunquam autem affert tenuitatem majorem; modò chylus cùm secundam coctionem subit, quanquam dum minus coctus, minus etiam crassus est, nunquam tamen aquæ habitum nanciscatur, quæ tenuior ipso chylo est, sed aliquantò saltem crassiorem.*

LIX. Et verò aqua illa, quæ ita vitio viscerum in abdomine coacervatur, plerumque longè alius naturæ est, quàm ut à frigidâ intemperie possit produci. Est enim plerumque flava, acris, salsa; cùm contrà in leucophlegmaticis quibusdam, ubi certò de frigiditate constat, ad album ferè vergat, & serum lactis imitetur, quod pituitosi generis est, ut idem observavit Guarin. *l. c.* Quin imò non videtur aqua asciticorum differre à sero illo acri, quod Aristoteles dicit generari διὰ τὸ διαῤῥεῖν, quod calor sanguinem (& ad eum modum fortassis etiam chylum) colliquet ac dissolvat; quo tempore cum corrumpatur essentia ipsius, non immeritò deinde mutat τὸ διαῤῥεῖν in τὸ διεφθάρθαι. Vide Hofman. *lib. de ichor. §. 71.* LX.

LX. Et sanè hydropem ascitem potius ab intemperie calidâ quàm frigidâ nasci; & authoritati Hippocraticæ doctrinæ & rectæ rationi & experientiæ doctissimorum virorum respondet. Ac in Hippocraticis quidem scriptis (neque enim omnia sunt Hippocratis, quæ ipsius nomine circumferuntur scripta, sed diversorum authorum) passim calori colliquanti adscribitur ascitis generatio. Ita *lib. de flat.* (quem librum olim Hippocrati adscriptum esse liquet ex *comment.* Alex. Aphrodisæi *ad Meteor. Aristot. lib. 2.*) *Quòd si flatus per carnes perrumpentes corporis meatus rarefecerint, eos humiditas consequitur, cui viam aër antea struxit. Corpore autem madore perfuso, carnes quidem colliquescunt, tumores ad tibias descendunt, & morbus hic hydrops dicitur.* Et paulò pòst: *Est & hoc aliud ejus rei indicium, quod venter penitus vacuatus intra tridui spacium rursus impletur. Quidnam igitur aliud quàm spiritus impleat? quidvé aliud tam citò implere possit? neque enim tanta potus copia in corpus ingesta est, ac neque carnes quæ colliquescent in causâ esse possunt, cum ossa supersint & nervi & fibræ, ex quibus nulla quidem tanta aquæ copia augeri potest.* Lib. 4 de morb. (cujus Author idem est cum scriptore *lib. 1. de morb. mul.*, antiquissimus medicus quisquis tandem sit) *Lien autem aliquantum ægrotans potum ex ventriculo trahit, morbus autem suboritur, & scrotum pellucidum evadit, & jugulum, cervix & pectus extenuatur cùm ex hoc morbo colliquescat, & humor in ventriculum defluat &c. Lib. de affection. Aqua intercutem plerumq; quidem oritur, ubi quis ex morbo longo non purgatus diu vitam traduxerit. Carnes namque corrumpuntur & colliquantur, inque aquam vertuntur.* Et paucis interjectis: *Aqua sanè sic gignitur, postquam carnes, pituita, tempore, morbo & vitiosorum humorum purgatione non facta, malaq; curatione & febribus corruptæ fuerint, colliquescunt, & in aquam vertuntur.* Lib. de intern. affect. *Ex pituitâ ad aquam intercutem hoc modo devenitur, colliquatur pinguedo & à pituitæ ardore aqua fit.* Et non multò pòst: *aqua intercutem ex his oritur, ubi æstatis tempore*

siti pressus copiosam aquam biberit, quandoquidem inde fere gigni solet, & pulmo expletus rursus in pectus dimiserit, tumq; in pectore extiterit, vehementem ardorem excitat, ita ut pinguedinem, quæ in arteriis inest, liquefaciat. at si semel pinguedo liquefieri cœperit, longè citiùs aquam intercutem efficit. Eodem libro: *si carnes aquam combibant & in se contineant, nusquam autem secedat, hæc contingunt, siquidem in carne fuerit, ardorem ventri & carni exhibet, proindeq; pingue quod in ventre est, colliquefit.*

LXI. Galenus quoque hydropem ex colliquatione concedit, quando *lib 3. de caus. sympt. cap. 2.* ita scribit: *Fit igitur quædam veluti anastæcheiosis, colliquatio sive resolutio, sive dissolutio sive quomodocunq; aliter nominare libet, aliquando totius corporis, aliquando succorum, qui in venis sunt duntaxat. Quod autem ex eâ colliquatione provenit, aliàs ad ventrem confluit, aliàs ad urinas, aliàs ad sudorem pellitur. Ac succis quidem, qui in venis habentur, in serosam saniem solutis, renes, qui ad excrementum id trahendum sunt nati potissimum, cùm sani sunt, serum quidem à venis expurgant, fluxionem autem ad vesicam assiduè mittunt. Vbi autem renes trahere non valent, aut venæ ejusmodi serum in ventrem mittant, aut toti id corpori partientes, subitaneos hydropum status inducunt.* Neque verò dubitandum καταστάσεις illas ὑδερώδεις esse verum asciten, quicquid dicat Diversus, cùm causam eandem habeant, etiamsi ἐξαιφνιδίως *subitò* fiant. Ipse enim Galen. hydropes ex morbis acutis, in quibus etiam non potest non esse σύντηξις quædam, *lib. 6. loc. aff. cap. 1.* vocat simpliciter ὑδέρους. Alex. Trallian. qui omnium optimè probat suam industriam in judicandis affectuum caussis, ad demonstrandum, asciten potius à calidâ, quàm frigidâ intemperie oriri, adducit magnum illud Hippocratis argumentum, Curationem *lib 9. cap. 3. Vbi præsentem*, inquit, *intemperiem internoveris, ita ad curationem audacter accedas, non autem vulgarem opinionem sequaris: nempe aquâ intercutem laborantes quovis modo calefaciendos esse. Neq; enim hoc verum est. Nam ego*

plerosq;

plerosq; etiam à refrigerantibus medicamentis interdum adjutos esse conspexi, atq; id evenire posse constat. Item Avicenna *fen. 14. tr. 4. cap. 13. Non oportet ut attendatur illud quod dicitur, quòd hydropisis non sanatur nisi cum medicinis calidis. Multoties enim significat illud, quod testificatur, & experti sumus, ut curemus nos, & qui fuerunt ante nos, apostema curatione suâ, & complexionem calidam cum infrigidatione.* V. etiam Averrh. *Colliget lib. 3. cap. 21.* Nicolaum *serm. 5. tr. 5. cap. 13.* His multi etiam ex recentioribus adstipulantur. Alex. Benedict. Christoph. à Vega, Argenterius, Guainon. Fernel. Platerus, Brucæus, Tulpius, ex parte etiam Arnisæus.

LXII. Cæterùm sepositis authoritatibus videamus quid sensus nos doceant. Certè calorem viscerum præternaturalem arguunt phænomena pleraque, febris, pulsus citatus, sitis inexhausta, lingua arida, cibi fastidium, vigiliæ, extenuatio superiorum, color faciei rubicundior, urina tantum non ignea, alvus adstricta &c. Quæ sanè omnia (utut horum aliqua, sitis inquam, ariditas linguæ, extenuatio superiorum & alvi adstrictio possint rectè tribui etiam illi ex vasis in abdominis cavitatem humoris aquosi profluvio) nunquam à frigidâ intemperie possunt proficisci. Vnde Cardan. *comment. ad prognost. 1. libr. 2. Hippocraticus Medicus debet credere evidentibus signis potius, quàm rationibus persvasivis, vel à priori; ergo debet credere quod hydrops sit à caliditate vel siccitate, vel utroque.* Neque est, ut dicas produci illa symptomata à putrescente tandem seroso humore, quin imò sæpe antequam serum colligatur in abdomine apparent, nec demum morbo confirmato jam superveniunt.

LXIII. Præterea & viscera atque alia interanea in abdomine, indurata, scirrhosa, putrida itidem de insigni p. n. calore testari possunt. Hinc Argenter. *comm. in lib. 4. §. 11. Multos hydropicos dissecui, in quibus deprehendi originem mali fuisse hepate, sed non eam frigiditatem, sed induratam epatis substantiam,*

 & eam

& eam quidem non ob pituitatem vel humorem melancholicum, se
nata erat ea durities ob assationem. Certè vehementem oporte
esse calorem, qui epar in lapideam substantiam convertere, au
ita indurare potest, ut tanquam corium torrefactum atque cor
rugatum appareat, adeo ut ne cultro quidem inscidi possi
quemadmodum observarunt Guarin. Tulp. alij.

LXIV. Neque enim verum est, scirrhum epatis aut lie
nis esse tumorem frigidum; quin potius sitis, oris siccitas, mult
bilis generatio, & tandem egestio biliosa, & icterus subsequen
eum calidum declarant. Declarat idem ejus generatio. Certum
enim est omnem scirrhum oriri ab inflammatione; imò verò
inflammationi scirrhum hæreditario jure succedere, quemad
modum id præclarè docet Aretæus *lib. 2. acut. cap. 7.* Quò si
mul apparet, admodum falli eos, qui in curatione semper cali
da adhibent remedia. Et de lapillis, qui vel in parenchymate
jecoris, vel in ejusdem venis, aut etiam in vesiculâ fellis reperi
untur, non est dubium, quin à calore concrescant.

LXV. Non verò perinde certum est de rimis seu fissu
ris epatis, quas Fernel. & Plater. exsiccitate ejus fieri scribunt
Fac enim suspendi epar aliquod in aëre ad solem aut ignem
nunquam videbis illud rimis ita dehiscere. Neque etiam, qu
epar exsuccum omninò, torrefactum ac corrugatum corij in
star in cadaveribus hydropicorum observarunt, unquam me
minerunt ejusmodi rimarum, utique autem deberent ibi ve
maxime apparuisse. Cùm tamen nec illis scriptoribus fide
planè sit deneganda, videtur dicendum, rimas seu fissuras illa
ortas fuisse ex ruptura τῶν ὑδατίδων.

LXVI. Putredo verò & illa in sanguinem quasi grumo
sum dissolutio ac corruptio quorundam viscerum, non aliun
de possunt esse, quàm à colliquante calore. Soletque ejusmo
di corruptio tum vel maximè accidere, quando inflammati
in suppurationem aut abscessum desinit. Et sphacelus ac gar
græn

græna intestinorum, aliorumque infimi ventris partium in-
flammationis soboles sunt. Adnasci verò viscera diaphragma-
ti aut peritonæo beneficio caloris, assantis quasi in crustam su-
perficiem eorum externam, etiam Iacobo Camenicено est no-
tatum. De boletis ac fungis, quod scribit Severin. rarum est.
Interim nec illas sine calore, exsudante simul per laceras & ero-
sas membranas humore superfluo, nasci certum est. Color
quoque viscerum magnum indicium caloris præbet, ater qui-
dem adurentis, albicans verò, præsertim extrinsecus, elixantis
quasi in humido; quemadmodum etiam aliàs viscera per elixa-
tionem suam amittere rubedinem videmus. Et si quæ alia in
dissectis asciticorum cadaveribus deprehenduntur, tantùm
non omnia calorem arguunt.

LXVII. Præterea asciten à calidâ potius causâ quàm fri-
gidâ esse, etiam illud evincit, quòd sæpe succedat morbis cali-
dis, febribus ardentibus, tertianis, quartanis, hecticis, ictero,
dysenteriæ &c. Item quòd ijs præsertim contingat, qui calidio-
ris sunt constitutionis, ac calidâ victus ratione utuntur; & tan-
dem quod potius curetur frigidis quàm siccis, quemadmodum
hæc omnia ex superioribus sunt manifesta.

LXVIII. Nunc porrò videndum, quomodo calida illa
intemperies viscerum aquam seu serum possit generare, modò
prius dicamus non tantùm ex poto, ut Sennertus vult, sed eti-
am ex non poto humore serum illud colligi. Possunt id te-
stari, qui ex continuo vini generosi, aut etiam spiritus vini
& aquæ vitæ usu in asciten incidunt, & se ab aquâ
infestari, quam tamen non biberint, jōculariter conque-
ri solent. Sæpe enim non respondet vini haustus collectæ
in abdomine aquæ. Argumentum verò illud (quod Sennertus
affert ad suam sententiam confirmandam) de omnimodâ à po-
tu abstinentiâ, quòd hâc solâ quidam sanitati restituti fuerint,
nihil aliud fortassis evincere videtur, quàm fomitem hoc mo-
do fur-

do fuisse morbificæ causæ subtractum. Omnes verò ascitico
sine discrimine tali curatione sublevari posse, equidem hau
dixerim.

LXIX. Neque etiam serum illud proximè ex chylo sem
per nasci, illud indicio est, quòd partes ad quas chylus attrahi
tur, ut mesenterium, pancreas, lien, epar, sæpe nihil patian
tur, mali, vitio interim existente vel in utero vel in reni
bus, vel in testibus muliebribus. Deinde notum ex §. 45
quandoque etiam fœtum in utero materno hydrope corripi
qui tamen nihil accipit ore. Quin docet experientia in febri
bus acutis & hecticis subitò quasi abdomen intumescere aquâ
argumeeto, præter chylum etiam sanguinem, imò & pingu
dinem & carnem seu quod circa fibras vasaque hæret stupa
modo, colliquari & in serum abire, testibus etiam Hippocrat
& Galeno. Quemadmodum etiam videmus fieri in hydrop
ad matulam seu diabete, ubi serum, quod cum urinâ emittitu
copiâ excedit ipsum potum.

LXX. Interim etsi concedamus totam massam chyli, au
etiam sanguinis, tandem ita serescere posse; non tamen omnem
sive chylum sive sanguinem, qui ad partem affectam affluit, si
mul ita affici patet inde, quòd sæpiùs observatum, sectâ in hy
dropicis venâ sanguinem satis rubicundum & pauco sero dilu
tum effluxisse. V. Guarin. *cons. 369. & 563.* Neque etiam aliàs la
borante aliquo sanguificationis viscere, sanguis statim vitiosu
solet detrahi. Vnde Ballon. *1. Epid. & Ephem. multis putria viscer
habentibus sanguis tamen demitur laudabilis*. V. etiam Volch. Coi
ter *obs. chirurg. miscel. p. 117.*

LXXI. Atque ita quoque constat non solum chylum
sed etiam sanguinem, imò nonnunquam pinguedinem & car
nem in serum colliquari ac resolvi posse. Videtur autem id
fieri non uno modo, sed nunc quidem per simplicem colli
quationem, nunc verò per colliquationem, quæ putredinem

conjun

conjunctam habet. Priori modo chylus funditur seu liquatur in inflammatione illarum partium, ad quas allabitur, à calore forti & adurente partim in tenuiorem, partim in crassiorem substantiam, quomodo sese res videtur habere de lacte, dum coquitur. Ad eundem ferè modum & sanguis nonnunquam colliquatur in venis, & tunc crassior ejus pars solet in bilem aduri, eamque variam, flavam, porraceam, æruginosam, atram; tenuior verò necessariò fit serosa, constituitque serum illud acre. Posteriori modo & sanguis & pinguedo in serum possunt abire, maximè in febribus ardentibus & colliquativis. Neque enim tanta corruptio & ἀναστοιχείωσις seu in elementa dissolutio (ut vertit Guarin.) qualem hic sæpe subitò fieri videmus, à simplici quadam intemperie seu phlogosi potest proficisci. Sed omninò major quædam vis hîc requiritur. Videtur autem potissimùm id fieri vi atque acrimoniâ putridorum humorum, qui σηπτικὴν virulentiam contraxerunt. Et quidem σύντηξιν illam pinguedinis & mollis carnis, quæ in febre fit ardente, putredinem potius quandam esse, quâm simplicem colliquationem, docet quoque Cl. Præses *lib. de Cal. inn. cap. 14.*

LXXII. Fieri verò ejusmodi colliquationem in omni etiam inflammatione paulo majore, per est verosimile. Patet id ex ichoribus illis, quas partes inflammatæ solent fundere, plus minusvé pro copiâ affluentis sanguinis & ratione partis affectæ. Ita Guarin. *cons. 369.* testatur sæpius se vidisse inflammatos pulmones, thoracem aquâ complevisse; item faucium inflammationem aquæ incredibilem copiam per os effudisse. Et in epatis inflammatione multum serosæ materiæ colligi docent dejectiones illæ hepaticæ acres subcruentæ, quæ ferè subsequi illam solent; aut etiam mictio plurima; quæ si contingat, solet illa plerumque periculo vacare. De aliarum partium inflammationibus, & quidem quæ sunt sine ulcere, scribit Ga-

 len. 5,

len. 5. *loc. aff. cap. 7. Vbicunque partes inflammatione laborant, nisi obstet pars alia densa & crassa, ab initio quidem tenues ichores ab illis defluunt, postea verò quàm coqui cœperunt inflammationes, crassiores & puri similiores.* Et 2. *progno. 50. Vbicunque obstaculum non est, veluti in foraminibus narium, in oculis, in ore, si ibi contingat oriri inflammationem, defluunt ab illà humores tenues, ichoribus ulcerum non dissimiles.* De inflammatione verò cum ulcere ita scribit *lib. de Tum. p. n. cap. 2. Aliquando maximè accidunt inflammationes cum ulceribus videturque tum effluere ichor aqueus tenuis, toto circumcirca loco sanguineo apparente.* Neque etiam aqua illa articularis, quam chirurgi das Gliedwasser vocant, aliter generari videtur. Et sane idem fieri in alijs partibus inflammatis, liene, pancreate, mesenterio, renibus, utero, testibus muliebribus par est credere.

LXXIII. Non potest autem non quod ita colliquatur esse acre, non tam ob calorem proprium, ut qui ferè hîc destruitur, quàm alienum. Nec dubium, quin ex diuturniore morà in abdomine acrimonia illa augeatur ob viscerum calidorum vicinitatem. Cùm verò etiam in ejusmodi colliquatione multæ fuligines sive adustæ exhalationes generentur, hinc fit, ut salsedinem quoque contrahat illud serum. Quemadmodum etiam aliàs & sudor & urina inde salsa solent reddi, ut præclarè docet Cl. Præses *lib. de Cal. inn. cap. 11. & 17.* Neque verò ferendum, salem, qui in urina & sudore deprehenditur ex alimento esse secretum, quod Chemici statuunt, & placet etiam Sennerto *lib. 1. instit. cap. 9.* Non enim temerè quis dixerit in omni cibo actu salem esse, etsi arte chemicâ aliquid ejus inde possit elici. V. Cl. Præses *lib. de Hermet. med. cap. 22.* Porrò nec flavedo illa seri fortassis aliunde est, quàm ex admistâ salsugine, quomodo videmus & lixivium omne esse fulvi coloris eandem ob causam.

LXXIV. Cæterùm si serum quod ita generatur, non evacuari

cuari contingat sive per sudorem sive per urinam sive per alvum, necessario illud aut circa partes inflammatas restagnat propter obstructionem venarum, aut simul cum sanguine per venas in corpus defertur. Prius si fiat, statim in ipso abdomine inter peritonæum & intestina aqua solet colligi: sin posterius, etiam alibi, ubicunque scilicet venæ laxiores fuerint, nunc extra peritonæum sub musculis abdominis, nunc in thoracis cavitate, pulmone illæso, ut Coiter & alij observarunt.

LXXV. Et ita quidem serum præter naturam nascitur & colligitur. Cæterum quin & illud serum, quod secundum naturam in corpore abundat (cujus beneficio tum alimentum distribuendum redditur liquidum, tum vapores etiam nascuntur, absque quibus alias corpus bene se non habet) ita quoque ob calidam interaneorum intemperiem possit aliquando coacervari, non est dubium. Obturatis enim & calefactis meatibus, quicquid in venis seri continetur, cùm difficillimè in vesicam abeat aut alvum, necessariò ibi præ calore & siccitate vasorum subsistere cogitur, ac paulatim stagnare. Fieri autem id præcipuè circa prima corporis receptacula, mesenterium, pancreas, lienem, vero maximè est consentaneum. Cùm enim huc primum deveniant assumpta, non possunt non etiam hæc omnium primò affici. Et in mesenterio quidem eò facilius possunt coacervari humores, quò glandulis est pluribus præditum, quod etiam notatum Hippocrati *lib. de gland.* Et confirmatur hoc, quòd Rondeletio teste illæ ipsæ glandulæ in omnibus hydropicis deprehensæ fuerint induratæ admodum & scirrhosæ, quasi ita affectæ prohibuerint aquosi exitum humoris.

LXXVI. Idem de pancreatis & lienis aut etiam epatis scirrho sentiendum. Quadrat huc maximè, quod scribit Auth. *lib. 4. de morb. Cum morbus supervenerit, multæ aquæ accessio fit ex ventriculo, ubi quis biberit & semper ad lienem fertur. In hoc au-*

 tem

tem morbo contingit ut non alià de causâ in ventriculo febris excitetur, quàm cùm quis sitierit, vesica verò & ventriculus non rectè transmittant, neq; convenientε victus ratione homo utatur. Lien verò aliquantum ægrotans potum ex ventriculo trahit &c. Et paulò pòst: *At verò circa ventriculum solum aqua intercutem istam ob causam exoritur. Etenim ubi magna copia accesserit, neque per exordia ad inferiores partes via detur, sed coacervata in venis resideat &c.* Vide etiam *lib. 1. de morb. mul.* Hunc sequuntur Car. Pilo *lib. de morb. à colluv. seros. ortis* & Sennert. *lib. 3. pract. p. 6. s. 2. c. 3. q. 2.* Et ita etiam nasci asciten ob errorem externum certum est; cùm scilicet ad lienem plus potulenti chyli confluit, quâm iterum transmitti possit.

LXXVII. An verò epar aquâ plenum possit in omentum erumpere, ut Hippocr. vult *lib. 7. §. 55.* meritò dubitatur. Galen. quidem in *comm.* illud de hydatidibus interpretatur, verùm negat posse ab epate aquam in omentum effluere, ut quod undiquaque solidum & firmum sit, quodque nihil in ipsum ex aliquâ parte possit incidere, nisi ex ventriculo, colo intestino, ac liene, illisque partibus, unde illud enascitur. Quod ipsum & anatome comprobat; etsi Hofman. *lib. 2. instit. cap. 33.* etiam epati, imò & diaphragmati illud annecti credat. Neque verò audiendus hîc Ioh. Liebautius, qui illud *εἰς τὸ ἐπίπλοον* simpliter intelligendum vult *intra omentum*, non *extra omentum*, aut *sub omentum*; neque etiam Sennertus, qui verbotenus illam Hippocratis sententiam retinere allaborat. Præterquam enim quòd ipsum omentum non connectatur cum epate, etiam nulla datur via, per quam epar aquam in omentum possit exonerare. Quas enim habet venas, à portæ quidem ramis habet, per illas autem potius sanguinem regredi ad epar patet ex doctrinæ à de motu sanguinis. Neque etiam per lobum illum exiguum epatis in omentum destillare

aquam

aquam facilè probabit Spigelius. Ponit enim tantùm quod possit ita fieri, non quod fiat, quod tamen in causis investigandis non est ferendum. Verùm Hippocratis errorem de situ omenti etiam Reald. Columbus notavit *lib. 11. cap. 6. de re anat.* Fortassis autem cum Galeno dicendum: *vel vult Hippocr. omentum exedi in partibus scilicet dextris ipsius, secundum quas est hepati vicinum, vel ad omentum audire oportet, hoc est ad ipsius locum.* Quam interpretationem etiam Mercurial. probat *comment. in ipsum §.* Quin tamen aliàs serum ad omentum regurgitans eò possit coacervari & effundi non est dubitandum. Constat enim magnis & laxis vasis, quæ in tam rarâ & laxâ membranâ facilè possunt aperiri.

LXXIIX. Colligitur autem serum in cavitate abdominis sub peritonæo aut etiam extra peritonæum, non per cæcos ductus & vaporis specie, ut quidam volunt, inter quos est Guainon. sed vel tunicis venarum rarefactis per διάβρωσιν, vel apertis earum orificijs per ἀναστόμωσιν, quomodo etiam aliàs fieri solet, quando vitiosi humores ad alvum deponuntur aut motu naturæ critico, aut exhibito pharmaco. Neque verò sanguinem simul effluere statim est necessum. Est enim crassior multò, adeoque præterfluit patula illa venarum orificia. Et sane ejusmodi seri effluvium absque sanguine etiam alibi observare licet. Ita testatur Philip. Salmuth. *obs. med. cent. 1. obs. 37.* se vidisse cuidam honesto viro nares pituitâ tenui guttatim stillasse integrum triduum, per intervalla tamen. Idem accidisse etiam virgini cuidam ibidem refert. Proculdubiò autem & hîc separatio aliqua facta fuit humoris serosi à reliquâ massâ sanguineâ. Neque enim in cerebro tanta copia latere potest absque gravitate. Ita etiam mulieri illi apud Fernel. saburra hydropica per venas menstruales expurgata fuit absque sanguine. Per alvum sive spontanea diarrhoeâ sive pharmaci vi idem sæpenumero fieri, notissimum in vulgus est.

LXXIX. Præterea & ex vulnere superficiali, aut ulcer
epatis ac lienis, aquam excidere posse ad eum modum quo u
cera aliarum partium excrementa humida excernere solent
eò faciliùs concedendum, quo magis humiditate scatent ill
viscera. V. Arnis. *diss. de hydrop. §. 16.* Ita etiam ex rupturâ ὑδα-
τίδων, quas Fernel. rimas seu fissuras vocat, destillare posse se
rum in cavitatem abdominis, verosimile est. Non autem in
omni ascite hoc fieri, ut ille vult, ex ijs, quæ supra sunt allata
sat abundè patet. Observandum interim Fernelium sæpe ita
impingere, atque ex particulari eventu universale quid perpe-
ram pronunciare.

LXXX. Et ita quidem serum in cavitate addominis sive
intra sive extra peritonæum colligitur. Quomodo verò ve-
siculæ aquâ plenæ in corpore generentur, difficilius est expli-
catu. Et quidem agnovit illam difficultatem, qui primus ali-
quid de hisce memoriæ prodidit, Aretæus, cùm inquit: *Vnde
id genus vesiculæ eruperint, via haud facilè reperitur, alij namque
affirmant, hujusmodi ampullas per intestina transiisse. Ego verò id
nunquam vidi: idcircò neq; nunc scribendo affirmo. Neque enim
de his quod dicam habeo. Nam sive ex colo sive ex ventre proficis-
cantur, quis coagmentationis modus sit? Iter enim ad omnium excre-
tionem per sedem lubricam, ac patens est, at ipsius humoris in ilibus
collecti per intestinorum rupturam egressio credi non potest: neque e-
nim innoxium, neque citra perniciem intestini vulnus est.* Quo
simul patet, etiam ante ipsum fuisse, qui vesiculas ejusmodi
observarint, sed absurdam omnino fovisse de illis opinionem,
quos ille hoc nomine etiam rectè refutat. Fortassis verò cum
doctissimo Coitero dicendum, naturam non solùm in rerum
procreatione, verùm etiam in morborum depulsione frequen-
ter ludere ac luxuriari, quod videre est in hernijs aquosis &
variis congestionibus, quæ passim in partibus corporis pro-
creari

creari solent. Vnde non mirum, inter membranas, quæ in inferiore ventre multæ reperiuntur, aquam ejusmodi tenuem (præsertim si in corpore abundat) colligi, iisque expansis, vesicas formari.

LXXXI. Atque hactenus causam ascitis immediatam proposuimus, pergamus nunc ad ejusdem causas mediatas & remotas. Et illæ quidem vel intemperiem interaneis induant, vel serum in corpore cumulant. Intemperiem induunt præcipuè calidam victus ratio calidior, cibi acres aut salsi, quales sunt carnes sale muriaque conditæ, aut fumo indurate; imo *omnia dulcia, acria, salsa, amara, austera & carnosa calefacere solent, tum quæ sicca sunt, tum quæ humida; quæ igitur plus sicci in se habent, ea siccant & quidem calefaciunt, quæ verò plus humidi, hæc omnia calefaciendo humectant &c.* ut loquitur Hippocr. *lib. 2. de vict. rat.* Peculiariter verò ficus virides & poma multa, item multum racemorum cibum & mustum copiosum aquam intercutem inducere scribit Auth. *lib. de int. aff.* Quod quidem hæc præstare videntur, quatenus fermentationem humorum in corpore excitant. Eâ sanè ratione fructus horæos etiam dysenterias, diarrhœas aliosque morbos producere verosimile est, habent enim illi ζυμῶδες, eoque etiam extra corpus facilè effervescunt, quemadmodum docet Cl. Præs *lib. de ferment.* Et de uvarum quidem racemis & ficubus Hippocr. *lib. 2. de vict. rat.* scribit: *uvarum racemi calidi & humidi alvum dejiciunt, præcipuè quidem albi. Dulces igitur potenter calefaciunt, quod multum jam calidi obtineant. — Ficus & uvæ passæ æstuosæ sunt, alvum tamen dejiciunt. Ficus viridis humectat, alvum dejicit & calefacit*, adeoque non est, ut credamus Dioscoridi ficus siccas hydropicis aptissimas esse, cùm & ipsæ calefaciant & sitim magis stimulent, etiam ipso Dioscoride teste, *lib. 1. cap. 184.* Ad §. IX.

LXXXII. Præterea & viscera calefaciunt vini generosi,

rosi, aut spiritus vini usus immodicus, aquæ palustres, pluviæ, & statariæ, quas ventri & corpori ardorem exhibere posse etiam Authori *lib. de int. aff.* est notatum, nec mirum cum habeant in se multum terrei adusti. Præterea aromata, medicamenta calida & fortia imprimis purgantia, item elixiria, quæ pro excitando appetitu imprudenter bibi sæpe solent, ne nunc quid dicam de magnis animi & corporis motibus aut vigilijs immodicis.

LXXXIII. Suppressæ consvetæ evacuationes sive per hæmorrhoidas, sive per uterum, sive per alias vias asciten inducunt, non calorem nativum suffocando, ut communiter statuitur, sed calorem præternaturalem visceribus imprimendo. Docent id febres & alia symptomata, quæ ferè subsequi illas solent. De hæmorrhoidibus quidem suppressis V. Hippocr. *6.* §. *14.* & *6. Epid. s. 3. §. 28.* De mensibus verò Auth. *lib. 1. de morb. mul.* Galen. *6. loc. aff. 5.* Eadem ratione ascites ex vitiosorum humorum purgationis defectu contingere potest, si credimus Authori *lib. de affect.* Non solum autem hinc calorem viscerum augeri, sed & serum in toto corpore cumulari certissimum est. Etenim suppressio illa evacuationum solitarum facit ad asciten, eo quod ita restagnent in corpore multi humores serosi, qui si exitum inveniant in cavitatem abdominis, asciten subsequi necessum est.

LXXXIV. Præterea ad seri collectionem multum quoque aër facit. Et austrinus quidem per se multum inducit aquæ corporibus & colliquat concreta; quin & vapores salsos adustosque emittit, est enim calidus auster & comprehendit multam exhalationem siccam docente Aristotele *lib. 2. meteor. cap. 3.* Eodem modo & pluviæ humectant corpora & humores aquosos reddunt. Aquilonius verò aër collectionem seri promovet, dum prohibet rejectionem. Spissat enim ill

corpor

corpora & calefacit, ventresque acriores reddit. Hippocr. *lib. 3. §. 17.* & *lib. de aër. aq. & loc.* Adeoque non est, quod scribat Petr. Paul. Pereda *in Paschal. meth. cur.* aërem nunquam posse facere ad hydropis generationem, eò quòd non possit ad epar penetrare, illudque refrigerare; quasi verò non alio modo corpus possit afficere.

LXXXV. Multum quoque seri in corpore generare possunt alimenta quædam frigida & humida, qualia sunt lactuca, cucumeres, melones, persica &c: & quæ à Pythagora damnata est atriplex, ut quæ hunc affectum peculiariter efficere credatur, ut tradit Plin. *lib. 21. nat. hist. cap. 30.* Faciunt huc etiam flatulenta, quoniam multam continent humiditatem frigidam nec percoctam; & cruditates & buprestes, ut Aretæus observavit.

LXXXVI. Ac buprestes quidem cùm sint genera quædam cantharidum, ut tradit Dioscor. *lib. 2. cap. 6.* & ijs viribus quàm maximè adsimiles, mirum est, quomodo non aquam promoveant per urinam, quod de cantharidibus etiam extra applicatis scribit Fernel. *lib. 3. cap. 6. M. M.* sed eam potius supprimant, quemadmodũ docet Dioscor. *lib. 6. cap. 3. Qui buprestem biberunt, non dissimile nitro virus sapiunt: stomachi ventrisq; vehemens dolor insequitur:* ὄγκος τε στομάχου καὶ κοιλίας σφοδρὸς ὁμοίως ὑδρωπικοῖς, *tam venter quàm stomachus, ut in aqua intercutem difflatus inturgescit: universa corporis facies contenditur, urina supprimitur.* Videtur autem maximè id fieri quod interanea nimis calefaciant, unde serum stagnare cogatur.

LXXXVII. Quomodo frigidæ confertim haustæ potus hydropem inducat, supra §. 76. ex parte dictum est. Scilicet non tam ob refrigeratum epar, ut vult Galen. *5. loc. aff. 7.* quàm quòd lien, postquàm irâ, febre, æstu, laboreq; incanduerit, subitò ad se rapiat frigidam, eamq; in omen-

tum revomat, ut quidem explicat Auth. *lib. 1. de morb. mul.* qui tamen rectius fortè dixisset injici ex liene aliquid in cavitatem abdominis. Fit vero ejusmodi hydrops subitò, & facilè etiam curatur. Deniq; post evacuationes sive menstruas sive hæmorrhoidales sive per nares, sequi ascites solet, non tàm quidem, quòd hinc occasio ejus generationi præbeatur, quàm quòd jam ante vitio aliquo laborarint viscera, unde sanguis serosior atque acrior gigni potuerit. Facere enim hæmorrhagiam præcipuè sanguinis tenuitatem & acrimoniam maximè cùm viscera obstructa sint, etiam Volch. Coiter notavit.

LXXXIIX. Cæterùm ascites, qui alijs morbis præcipuè longis (nam de eo, qui ex febribus acutis aut colliquativis oritur, supra dictum) succedit, præsupponit & ipse quoque magnam viscerum dyscrasian, unde materia quæ priores morbos fovebat, ad ventrem diverti, eumq; in tumorem attollere possit. Et sanè ejusmodi humorum ῥοπὰς ac μεταςάσεις in multis morbis observare licet. V. Ballon. 2. *Epid. p. 260. & 261.* Sed hæc pluribus nunc explicare non fert instituti ratio. Tandem & ab hydropicis parentibus nasci interdum & hydropicos liberos, fortassis non est, ut dubitemus. Videmus enim id sæpe aliàs contingere: morbidi patrimonii hæredes naturâ liberos instituente.

LXXXIX. Atque de causis quidem tam immediatis quàm mediatis hactenus: consequens nunc esset rationem reddere eorum omnium, quæ circa hunc morbum accidere supra notavimus. Verùm cùm pleraque ex ijs, quæ jam tum allata sunt, facilè possint decidi, tantùm ea nunc considerabimus, quorum causæ minus sunt manifestæ. Et primò quidem tumores œdematosi (nam de utriformi illo non est, ut verbum addamus) oriuntur à te-

nui

nui & mobili sero insinuante sese per capillares venas & arterias in cutem & huic subjectam carnem, unde etiam initiò non solent esse stabiles, sed modò assurgunt, modò desinunt; postea verò in habitu corporis externo frigidiore jam reddito sero, subsistunt. Atque tum quidem cutis ejusmodi sero irrigata splendescit & impressa vestigia aliquo usque retinet; scarificata verò, aut leviter tantùm scalpta, meram sudat aquam. Quemadmodum etiam in aliis cachecticis fieri consuevit. Ita refert Salmuth. *Cent. 1. obs. 87.* virgini cuidam ob suppressos menses dyspnoeâ laboranti per scarificationem ne guttam quidem sanguinis sed merum ichorem evacuatum fuisse: quale quid etiam in tribus alijs eodem modo affectis contigisse observavit, quæ si forsan digitum vulnerassent vel acu vel cultro, puram prorsus aquam effluxisse.

XC. Deinde tumor crurum ac pedum accidit, humore per tunicas peritonæi sive exesas sive ruptas, sive quâ aliâ ratione laxatas perrumpente, atque in vacua musculorum spatia & eam quæ cuti subest intercapedinem defluente, aut vasis iterum recepto per arterias in crura insinuato. V. Cl. Præses *lib. de sang. gen. & mot. nat. cap. 25.* Et si fortè hîc aut etiam alibi ulcera excitentur, difficulter sanescunt, quod serum illud sit salsum, acre & adustionem plerumque passum. Hinc etiam pruritus ille corporis & scabies sicca & erysipelas. Neque enim erysipelata, quæ asciticis accidunt, semper ex bile flavâ ut vult Guarin. *cons. 563.* aut ex sanguine bono, sed quemadmodum in scorbuticis (quibus admodum adfines sunt ascitici) vel maximè ex serosiore sanguine oriri solent. V. Cl. Præses *disp. de Scorbuto,*

XCI. Contabescunt verò partes supernæ, dum vi ignis interni colliquantur ac consumuntur, & simul etiam

ab acri illo salsoque humore corroduntur, quemadmodum etiam supra dictum. Sudor est difficilis vel ob constipationem meatuum, vel quòd aliò divertatur serum. Et observavit Smetius *Misc. Med. l. 8.* illos præcipuè difficulter sudare, quibus jecur aut lien, ætate morbove inaruit, vel obstructione magnâ aut scirrho obduruit: contra quibus calore humoreque naturali abundat, quavis ex causâ sudore diffluere: fortassis itidem ob faciliorem aut difficiliorem seri in corpus distributionem.

XCII. Lassitudo, quam percipiunt hydropici, plerumque est ulcerosa, adeoque ab humoribus acribus in fibras musculorum sese insinuantibus ora. V. Galen. *lib. de tuend. valet.* Cùm verò & illi humores facilè in fumum abeant salsum atque acrem, hinc non possunt non in varijs partibus dolores excitare; continuos quidem, si perpetuò generentur ejusmodi fumi, vagos, si huc illuc moveantur. Ventris autem dolores, quibus, antequàm morbus ipse sese prodat, sæpe solent corripi ægri, non videntur aliunde esse, quàm à mesenterij phlogosi aut inflammatione; qualem in omnibus febricitantibus colicos dolores passis visam sibi Adr. Spigel. testatur *lib. de febr. semit. cap. 4. & 13.*

XCIII. Febris illa asciticorum continua & lenta, *non ex aquæ collectæ* (verba sunt Smetij *Misc. Med. lib. 8.*) *putrescentis culpâ originem trahit, sed potius ex affectu primario visceris alicujus, ut scirrho epatis.* Nec verò solùm intermittentium febrium, ut Fernel. vult & Hofman. sed & continuarum sedes & origo in infimo ventre solet esse. Ita testatur Adr. Spigel. *lib. 1. de Semitert. cap. 16.* se in iis, qui febre quotidie sese exacerbante, præcipuè circa vesperam (qualis & asciticorum est, teste Guarinonio) in modum duplicis tertianæ perierunt, putredinem deprehendisse

non

on in venis majoribus, sed in inflammato alicujus primæ
egionis viscere, vel aliâ aliquâ recondità parte, inflamma-
ione paulò minori, quàm dolore ab ægro vel tactu hypo-
hondriorum à medico & ægroto nosceretur.

XCIV. Angustia illa præcordiorum & spirandi la-
or oritur vel maximè à compressione diaphragmatis, æ-
uante circa illud humore seroso, præcipuè in cavitate
Aquapendentis, quam vocant, aut etiam in ipso ventri-
ulo. *Sæpe enim nondum apparente abdominis tumore
jusmodi dyspnæa percipitur, quæ deinde increscente a-
uâ augetur.* Guarin. *cons. 369.* vult eam accidere, quòd
ulmones sint icciores & duriores ob egestatem humidi
limenti. Sed & jecur diaphragmati non solum onerosum,
ed etiam firmiter accretum, quò minus spiritus liberè tra-
atur, efficere potest. V. Tulp. *lib. 2. cap. 34.* Hinc quoque
ussis sicca seu ξηρὸς oriri solet. V. Cardan. *contrad. Med. lib.
. tr. 3. contrad. 19.*

XCV. Alvi profluvium & quidem initio accidere
otest, ubi aqua iterum in venas recepta ad alvum depo-
itur, quomodo etiam vi pharmaci alicujus illam evacua-
i videmus. Quâ ratione verò alvi fluor consequatur, si
laterum inanitate ascites ortum duxerit, docet Galen.
omm. in prænot. Hippocr. Alvi fluor, inquit, *peculiare est aquæ
ntercutem ex inani parte affligentis, ubi jejunum & lactes in-
lammatione vexentur. His enim potissimum venæ debiles fiunt,
er quas jecur ad se trahit alimentum: ita fit, ut nequaquam in-
erviant visceri ad diductionem, neque maneat in jejuno tenu-
oribusq; intestinis alimentum. Quod si graventur ab eo utpote
debilia, statim id omne pellunt deorsum: atque hæc alvi fluoris
causa est. Quin etiam corrumpi alimentum, bilisq; colligi co-
iam ratio est ob calorem partium, quæ inflammatione vexan-
ur, & ob eam rem intestina admodum mordentur, proindeq; in-*

 citantur

citantur ad excernendum contenta ibi excrementa: atque hac rursus altera causa alvi fluoris est. Cæterùm longè alia ratio est alvi fluxus, qui symptomaticè accidit, cùm enim hîc vires admodum dejiciantur, indicio est, magnam fieri in toto corpore colliquationem.

XCVI. Vrina parcior redditur, non quòd renes semper obstructione laborent, sed quòd alibi serum inveniat egressum, adeoque quà datâ porta ruat, perinde atque in venâ sectâ fieri videmus. Menses nunc parciùs nunc largiùs fluunt, nunc etiam magis vel minus colorati sunt, prout scilicet vel uterus ipse affectus fuerit, vel materia peccans aliunde transmittatur.

XCVII. Somnus suboritur à vaporibus humidis in caput transmissis, vigiliæ à siccis & calidis. Guarin. *cons. 194. jecora obstructa — possunt obstructione suâ febres movere, possunt humidos vapores in caput submittere, possunt & siccos, si non à crudo humore sed ab eo ichore, qui flavus & torrefactus sit,* & paulò post: *vigiliæ siccum humorem secutæ, cruditates sopor nimius.* Sed quomodo ab ejusmodi humidis vaporibus somnus concilietur, docet egregiè Aristot. *lib. de somn. & vig.* & Averrh. *lib. 3. collig. cap. 21.* Ad eum verò modum & epilepsiam generari Arist. observavit. ὅμοιον γὰρ ὁ ὕπνος ἐπιλήψει, καὶ ἔστι τρόπον τινὰ ὁ ὕπνος ἐπίληψις ut scribit. *l. c. cap. 3.*

XCIIX. Cæterùm hæc omnia accuratè excutere longioris temporis negotium est & minime nostri instituti: quare quod proximum est, ad curationem faciemus progressum. Patet autem per se statim, inveteratum hydropem immedicabilem esse, ut & qui ex ureterum aut vesicæ læsione, ruptione, aut exulceratione oritur; difficulter sanari, qui alijs morbis succedit, Auth. *lib. de aff.* præcipuè febribus colliquativis; faciliùs curationem suscipere in quo viscera non admodum læsa; & quò pars ignobilior est, quæ

serum

ferum excidere finit, eò ascites mitior est, & diutius gestari solet: faciliùs etiam hydropem curari in servis, quàm liberis Celsus scribit, *lib. 3. cap. 11.* in universum quomodo affectos esse oporteat, quibus spem facere debemus, explicat Hipp. *2. progn.* V. supra *§. 29.*

XCIX. Itaq; quum ascitis causa continens sit serum in abdomine collectum, illud autem rarò sine vitio viscerum generetur, patet non solùm in curatione dandam esse operam, ut serum illud evacuetur; sed etiam vel maximè tantum non semper prospiciendum, ut labes viscerum corrigatur. Atque hinc oritur duplex indicatio, altera curatoria, quæ à causa continente petitur, altera præservatoria, quæ à causis antecedentibus. Ita etiam Galen. *lib. 2. ad Glauc. cap. ult. In hydrope duplex est intentio, ut scilicet sanetur tumor durus in viscere, & ut superflua humiditas discutiatur.*

C. Quamvis autem si secundum methodicam curationem procedere velimus, prius causæ eo ordine, quo sese in generatione mutuò consequuntur, sint removendæ, atque ita siquidem adsit viscerum labes, ob quam aqua in abdomine colligitur, primò sit emendanda; tamen, cùm aqua illa, quò diutiùs in ventre remoratur, eò gravius vitium contrahat, atq; interaneis plus mali causas antecedentes vel fovendo vel augendo inferat, adeoq; medicamenta pro causis tollendis sine fructu exhibeantur, omnino id dandum operæ, ut aqua collecta quàm primùm evacuetur; nisi forsan ascites adhuc recens sit, aut potius incipiens. Atq; hoc etiam obervarunt omnes Practici, Paulus *l. 3. cap. 48. Curantes ipsos in communi quidem ab evacuatione initium facimus.* Et Trallian. *lib. 9. cap 2. omnium curatio à vacuatione incipienda.* Est autem evacuandi aquam multiplex ratio; per foramen in abdomine factum, per setacea, scarificationes, vesicatoria: item per vomitum, per alvum, per vesicam, per

sudores,

ſudores, per ἄδηλον διαπνοὴν. De quibus omnibus nunc ordine agemus.

CI. Promptiſſimè aqua per παρακένθησιν educitur, Galen. *lib.14. M.M. cap. 13.* quum quidem Eraſiſtratus tanquam exitioſam ac inutilem damnavit, ſed rationes, quas affert, parvi ſunt momenti & refutationem vix merentur. V. Pareus *lib.7. cap.12.* Etenim ſi natura interdum ſponte rupto umbilico aquam evacuare ſoleat magno ægrorum commodo Amat. Luſit. *cent.5. cur.37.* Bald. Ronſeius *in Append. Epiſt.2.* Valleriol. *lib.4. obſ.3.* Schenck. *lib.3. obſ.147*; ſi caſu vulnerato aut rupto ventre & aquâ effluente quidam ſanitati reſtituantur, Paſchal. *Meth. cur. morb. l.1. c.44.* Franc. Rouſſet. *de part. Cæſ.* Thom. Fien. *chirurg. tr.6. cap.1*; quidni ergò & nos naturam imitemur, & artificiali vulnere facto aquam educamus?

CII. Inſtituenda autem paracentheſis ſtatim initiò, ſecundum illud Hippocratis *6. Epid. ſ. 7.* ὑδρωπιῶντας ἀυτίκα τέμνειν, dum ſcilicet ægri adhuc ſunt εὐσπλαγχνοι (id eſt viſcera habent talia quæ ad ſtatum naturalem redire poſſunt) & antequam aqua ex diuturnâ morâ inſignem putredinem contrahat; aliàs enim, quâ parte ſectio facta eſt, & eryſipelas & gangræna conſequi ſolet, ut obſervavit Ballon. *2. Epid. p.203.* & Th. Fienus *chirurg. tr.6. cap.2.* Et ſi qui mortui ſunt ex ſectione, ex eo mortuos cenſet Aurelian. *3. chron.* quod tardiùs aut negligentiùs puncti fuerint. Quod fortaſſis Avicennæ & Gordonio reſpondendum, quando ille quidem admodum paucos, hic verò nullos à paracentheſi ſuperſtites fuiſſe ſcribit. Periculo etiam non vacat, ſi conſertim aqua emittatur, unde Hipp. *6. §.27.* — *Qui aquâ intercutem laborant, ſi ſecantur & aqua conſertim effluxerit, omninò intereunt.* Et *2. §.51. plurimum & repente vacuare ubiq; periculoſum.* Eſt enim nimium naturæ inimicum, ut ibidem ſubijcit, & vires

ires hinc maximè collabuntur. Quantum autem aquæ educendum, authores exactè non determinant. Fien. *d. l.* primò statim magnam quantitatem educit, usque ad medietatem aut tertiam partem, deinde minus ac minus pro ratione virium.

CIII. Cæterùm locus sectionis communiter solet eligi in latere, spatio trium digitorum infra umbilicum, & in dextro quidem si lien laborat, in sinistro si epar. Interdum autem & in ipso umbilico sectio fieri posset, monstrante præsertim ipsâ naturâ illam viam. V. Laurent. *lib. 1. Anat. cap. 8. q 16.* Valleriol. *lib. 4. obs. cap. 3.* Beniven. *cap. 12. de abd. morb. caus.* Forest. *l. 19. obs. 23.* Olw. Gabelchof. *apud Schenck.* Vid. Vid. *lib. 10. cap. 5.* Hildan. *cent. 2. obs. 58.* Hœchstet. *decad. . cas. 10.* Author quoq; *lib. de int. aff.* circa umbilicum urit & Auth. *lib. de aff. fit sectio vel juxta umbilicum vel retrò juxta lia.* Quomodo verò sectio instituenda, quibus instrumentis, & quà ratione foramen iterum benè claudendum, optimè tradunt Albucasis *lib. 2. chirurg. cap. 54.* Ambr. Pareus *lib. 7. cap. 17.* Th. Fienus *chirurg. tr. 6. cap. 4. & 5.* Sennert. instit. *lib. 5. p. 1. s. 2. c. 7.* quæ ibi videantur.

CIV. Deinde aquam evacuare valent vesicatoria, scarificationes & setacea tam ventri quàm partibus inferioribus applicata. Et quidē novaculâ undiquaque cutem incidere in Græciâ suo adhuc tempore usitatum fuisse Al. Benedictus scribit *lib. 15. cap. 40.* Auth. *lib. de int. aff.* peracuto scalpello & crebris vulnusculis pertundit scrotum & femora. Et Avicen. *quandoq; pungimus inflaturam testiculorum cum acubus multis, ut aqua habeat resudationes plurimas*, quod de setaceo potest intelligi. Ita & scroti perforationem commendant Platerus & Massarias. V. quoq; Guil. Fabric. *cent. 1. obs. 48.* Crurum verò scarificationis etiam Gal. mentionem facit *lib. 9. de comp. med. sec. loc. cap. 3.* & Aëtius *te-*

trabl.

tractat.3.serm.2.cap.20. ita nonnunquam sponte naturæ aqu ad pedes vergit & destillat. Vid. Vid. *lib.10.c.5.de cur. membr* Per vesiculas in digitis pedum obortas magnam vim aqua profusam fuisse ægro reconvalescēte, observavit Al. Benedict. *l.c.* ex præcisis unguibus aquam effluxisse cum salute ægri, Scholiogr. ad *cap.39. lib. 1. Holler. de morb. int.* Vstione per errorem excitatâ vesicâ in crure atq; ex eadem copiosâ aquâ effluente vindicatum fuisse ab hydrope adolescentem, Schenck. *lib. 3. obs. 242.* Casp. Hofman. *lib. 3. cons. 30. apud Scholtz.* Cauteria quoque & vesicatoria nonnunquam cum fructu applicari itidem observatum, Passchal. *lib. 1 cap. 44. Meth. cur.* Hofman. *l.c.* Fernel. *cons. 32.* Verùm utut hæc curatio feliciter interdum succedat, magna tamen adhibenda cautio, ne gangræna aut sphacelus oboriatur. V. Lud. Septal. *animadv. med. lib. 7. num. 56.* Guil. Fabr. *Cent. 1 obs. 49.* Guarin. *cons. 563.*

CV. Atq; ita chirurgicâ ope aqua educi solet: nunc porro videndum, quomodo eadem medicamentis evacuari possit sive per vomitum, sive per alvum, sive vesicam, sive spiracula cutis. Et vomitum quidem sunt qui commendant, interq; illos Avicen. *ex eis quæ conferunt, est vomitus,* & observatum ex vomitu in mari quendam ab hydrope liberatum, Forest. *lib. 19. obs. 29. schol.* alium binis vomitionibus spontaneis magnâ aquæ vi profusâ convaluisse, Marcel. Donat. *hist. mirab. lib. 4. cap. 21.* Verùm non semper tuto provocari vomitus solet ob impendentem dyspnœam, & præcordiorum angustiam præcipuè jam morbo confirmato V. § 23. sunt enim ascitici aliàs δυσπνοεῖς, eò quòd musculi abdominis non possint rectè cooperari.

CVI. Commodiùs per alvum aqua evacuatur, quò etiam natura sæpe ducere solet. Sed cavendum & hîc ne fluxum ventris, corpus nimium commovendo concitemus,

nus, præcipuè ubi vires debiles sunt. Cæterùm non o-
us est multa præparantia hîc præmittere, cùm materia e-
acuanda coctionem nullam recipiat, & per se satis tenuis
it & ad fluendum apta, & plerumq; viæ quoq; humore sic
atis laxatæ. Si quæ tamen materia crassior circa primas vi-
s hæreat, illa abstergenda & incidenda, quò faciunt medi-
amenta, quæ aliâs in hydrope exhiberi solent.

CVII. Sunt autem hydragoga alia mitiora alia for-
iora. Ad illorum classem referuntur sambucus, ebulus,
præsertim succus eorum & extractum, flor. persic. solda-
ella seu brassica marina. Item rad. mechoacan. resin.
gialap. scammon. gum. gotte seu Cambadiæ. Fortiora sunt
uccus iridis nostratis, cucum. agrest. & ejus succus seu e-
aterium, lathyris, esula major pityusa Dioscoridis (sed
quæ hodie ab usu recessit) esula minor, gratiosa, meze-
eum, euphorbium, sagapenum. Composita sunt elect. In-
lum maj. elescoph. benedicta simpl. diacartham. diatur-
pith cum rhab. & hier. picr. troch. Alhand. oxymel Hel-
eb. majus Gesn. hydragoga Renodæi, Heurnij, Fernelij
majus & minus, pulvis contra hydropem Erasti, Querce-
ani &c. sed hæc omnia nunc examinare & nimis longum
& nullum operæ pretium fuerit.

CIIX. De fortioribus tamen catharticis sciendum,
sæpius illa plus nocere, quam prodesse. Sunt enim nimis
calida & colliquandi ac conturbandi vim habent insignem,
unde non solum ipsum hydropem augeri, sed & diarrhœ-
as lethales accelerari necesse est. Et verò cùm veteres ple-
rique ejusmodi fortibus medicamentis fuerint usi, non est
mirandum, quare tam pauci ex hydropicis sanitati fuerint
restituti, *neq; enim Græci* (inquit Cardan ad *progn. 1. lib. 2.
Hipp.*) *referunt suâ curâ ægros sanari: quinimo vix unum inter
innumeros evasisse testantur.* V. etiam Ballon. *Epid. 1. p. 43.*

CIX. Deinde notandum, etsi Auth. *lib. de aff.* bilem in hydrope minimè esse movendam scribat, & Gal. *lib. de med. purg. fac. cap. 2.* medicamenta, quæ flavam & nigram bilem purgant, hydropicis dare inutile esse dicat; tamen cùm obstructionis etiam viscerum ratio sit habenda, sæpè illis hydragogis medicamenta, quæ simul alios quoq; humores evacuare valent, admisceri, utiliterque hydropicis propinari. Ita Rhabarbari usum in hydrope maximè commendant Guil. Placent. & Erastus. Et refert Adolph. Occo *apud Schelz in Epist.* hydropicum quendam ferè desperatum ex usu rhabarbari quotidiano optimè convaluisse. Ita etiam fol. senæ, turbith, aloe, diagrid. agaric. elleb. alb. & nig. & pleraque etiam composita supra relata non sine insigni fructu hydropicis sæpe exhibentur.

CX. Quod si fæces quocunq; modo restagnent, aut dolor in ilibus percipiatur, satius est per clysteres viam facere. Sæpe quoque his ipsis angustiæ præcordiorum accurritur, dum materia præcipueque flatus hoc modo deorsum revelluntur. Possunt autem parari clysteres ex herbis emollientibus, folijs ebuli, soldanel. centaur. min. sem. cartham. fœnic. cumin. baccis lauri &c. Paulus etiam in mulieribus hydropicis pesso utitur *lib. 3 cap. 48.* ut & Aët. *tetrab. 3. serm. 2. cap. 26.* Præterea & extrinsecus ventri medicamenta applicari solent, quæ eum relaxare, & serosos humores educere valent, componunturq; ex succo irid. sambuc. cyclam. ebuli &c. Et habentur in eum usum etiam composita, Vng. de Arthanit. de lathyride, Vng. umbilicale Andernaci, Varandæi &c. sed tamen & hìc delectus habendus, nec sine discrimine omnibus hydropicis illa applicanda.

CXI. Magno deinde cum fructu diuretica exhiberi solent, ut quæ non solùm materiam serosam, quæ in venis adhuc continetur & ad ventrem confluxura est, derivare sed

d etiam illam ipsam, quæ in abdominis cavitate resta-
bat in venas resorbere atque evacuare possunt. Ita Ron-
del. *cap. 36. meth. cur. morb. lib. 2.* mulierem hydropicam vi-
dit per urinæ fluxum sanari. Et Wier. *de præstig. dæmon.*
l. 3. cap. 35. historiam refert de hydropico quodam inopi-
nò restituto exhausto pulvere bufonum, quem uxor
sumptuum pertæsa illi propinârat ad finiendum tædium
vitæ, exoneratâ enim per vesicam saburrâ aqueâ convaluit
præter conjugis expectationem. Eandem historiam etiam
Solenand. *f. 5. cons. 15. §. 19.* recenset. Habent etiam hoc
ejusmodi diuretica, ut possint vescera ab obstructionibus
liberare, ideoq; sæpius exhibenda. Nocent tamen inanasto-
mosi venarum & colliquatione humorum.

CXII. Parantur autem ejusmodi diuretica ex pe-
trosel foenic. asparag. dauco, seseli, pulegio, linaria, ex rad.
apij, valerian. asari, gramin. vincetox. pimpinel. sem. hype-
ric. alkekengi, 4. frig. maj. bacc. junip. sale absinth. foenic.
genistæ, gratiol. urinarum, lign. sassafras, verm. terr. E com-
positis sunt spec. diacurcum. dialac. troch. de lacca, de
rhabarb. de cappar. & quæ sunt, hujus sortis alia sive sim-
plicia sive composita, quorum longum catalogum recen-
set Aëtius *tetrabl. 3. serm. 2. cap. 26.* ex Archigene, Oribasio,
alijs. Quidam hîc etiam cantharides commendant, secuti
Authorem *lib. de rat. vict. in acut.* & Auth. *lib. de int. aff.* ut
& Galen. *2. de antid. cap. 7.* Et Capivac. multos desperatos
cantharidum usu restitutos fuisse scribit. Verùm omni-
no hîc magna cautio est adhibenda, cùm nonnunquam
inde vesica exulcerari soleat. V. Dodon. *de med fac. cap. 7.*
Ballon. *2. Epid. p. 190.*

CXIII. Multi etiam sudores eliciunt, & in eum fi-
nem non solum interna (in quorum numero sunt diure-
tica quædam, quibus addi solent fl. sambuc. & ebul & ex

his Parati spiritus & sales, vincetox. dulcamara, rad. 5. aperient. decoctum lign. guajac. & sassafr. imò theriac. & mithrid.) sed & externa commendant, ut balneum Laconicum, cujus structuram Vitruv. describit. *lib. 5. cap. 5.* Mercurial. *de re gymnast.* V. & Celsus *lib. 2. cap. 17.* Vaporarii doliarii mentionem facit Gal. *de us. resp. cap. 4.* Thermas passim laudant. Quidam etiam hydropicos eo fine in arenâ sepeliunt; cineribusq; calidis, aut acervo frumenti. Verùm etsi hic evacuandi modus in anasarca possit concedi, in ascite tamen eundem minimè convenire præclarissimi medici monent, inter illos Guarin. *cons. 563. de educendo humore per sudores, ego non ita facilà determinarem, nisi per superiorem operam* (paracenthesin) *fuerit prius deductus: ne turbationem & fusionem humor accipiens periculum majus vitæ afferat, quemadmodum in aliis observavi, qui sub sudoribus, alvo considente, credebantur sanescere, tamen citius interiere.* Et Plater *tr. 3. pract.* in ascite per vim sudores elicere incommodum nonnunquam, imò noxium esse scribit. Cùm enim ejusmodi diaphoretica sint admodū calida, & verò ipsi ascitici per se difficulter sudent, facilè hinc viscerum intemperies augeri, ipsiq; ægri in maximam debilitatem deduci possunt. Interim tamen cùm hydropicis maximè ex usu sit corpus habere perspirabile, cum nihil adeo ipsos offendat, quàm densitas pororum, quæ humores congregatos non sinit dissipari, ut loquitur Trallian. potiùs lenibus frictionibus illi aperiendi. V. *lib. 9. cap. 3.*

CXIV. Præter clysteres, pessos & unguenta illa alvum ducentia, alia etiam topica, quæ rarefaciendo cutem transitum materiæ aquosæ procurare possunt, in usu sunt. Applicari autem illa solent toti ventri, imprimis umbilico & scroto, in formâ fotuum, evaporationum, unguentorum, emplastrorum vel cataplasmatum.

Mareriam

Materiam his medicamentis possunt suppeditare, rad. ebuli, irid. cyclam. scyll. cum aperientibus aliis; herbæ viticis, vincetox. heder. arbor. soldanel. mercur. pariet. tar. chamom. semina staphisagr. cumin. anisi, rutæ, bacc. laur. far. lupin. orob. fænugr. additis stercoribus columb. caprarum &c. ol. laurin. absinth. de lateribus, irin. anethin. rutac. testis item & carne cochlearum. V. Aër. *l. c. c. 23. & 24.* Trallian. Ægin. *l. c.* Sunt tamen hæc omnia magna cum cautione applicanda & non nisi præmunitis visceribus, ne nimium exsolvantur. Vnde semper admiscenda, quæ noxam illorum corrigere possunt.

CXV. Interim dum hæc administrantur, non negligenda altera indicatio, quæ consistit in caussarum, ob quas serosi illi humores vel generantur vel coacervantur, remotione. Cùm autem illæ variæ sint, non potest quoque scopus eas removendi esse unus idemque. Si itaque simplex intemperies calida, aut phlogosis, simulque & obstructio viscerum adsit, alterantia & aperientia exhibenda, qualia sunt, rad. gram. rad. & fol. cichor. endiv. tarax. scariol. sonchi acetos. sem. 4. frig. mai. & min. syr. acetos. s. & comp. syr. de cichor. s. & cum rhab. & de endiv. Potest etiam hîc locum habere absinthium, & quæ ex eo parantur medicamenta. etsi enim illud calidum sit, habet tamen maximam vim viscera ab obstructione liberandi, simulq; ea corroborandi. Si inflammatio aut schirrhus aut alius tumor durus epatis vel lienis aut aliarum partium adsit, remedia, quæ aliàs à Practicis in illorum morborum curatione præscribi solent, usurpanda. Ita etiam si hydrops morbis acutis, febribus ardentibus, hecticis, colliquativis succedat, non solùm hydropis, sed etiam quàm maximè febrium illarum habenda est ratio. *Neq; enim aqua intercutem cessaverit unquam, nisi*

nisi prius color p. n. desierit; ut loquitur Trallian. *lib.* 9 *cap.* 3.

CXVI. Deniq; cùm vires sæpe maximè periclitentur, danda opera, ut illis & idoneis medicamentis & convenïente victus ratione succurramus. Et è medicamentis quidem hîc solent commendari epar lupi, pelliculæ ventriculi gallin. santala, rhabarb. myrobal. parum tosta, conservæ veron. ros. borrag. bugloff. acetos. Cond. rad. cichor. spec. diarh. abb. diatrion. santal. arom. ros. magister. corall. & perlar. &c. In victus ratione, quæ parca & moderata hîc esse debet, utendum euchymis & eupeptis à salsis, aromatisatis, calidisq; potius temperandum, ne sitis augeatur. diureticis tamen oleribus uti licet, ut petrosel. fænic. &c: quo fine laudatur etiam lac eorum præcipuè animalium, quæ ejusmodi diureticis herbis pascuntur. Potus sit parcissimus; nam omnino ab eo abstinere difficile est. aquæ potus cùm multum seri procreet, noxius, addito tamen aceto utilior est ad sitim extinguendam. Aër vitetur humidus & crassus. somnus sit moderatus. motus corporis multum conducit, modo ægri vires illum permittant. Animi affectus modum non excedant.

Atque hæc quidem pro instituti ratione sufficiant.

ΜΟΝΩ ΤΩ ΘΕΩ ΔΟΞΑ.

COROLLARIA.

I. Nulla fit consumptio partium corporis solidarum secundum naturam, adeoq; hactenus nulla earum nutritio.

II. Calidum nativum non nutritur humido aliquo primigenio aut radicali, utpote quod nullum datur, sed sanguine.

III. Appetitus sensitivus in corde residet, adeoq; & principium motus inde accersendum.

(o)